Suph eadem quæ in ſcriptura Ramata in ſiphim dicitur. 130

Suſannæ hiſtoriæ auctor,& qui eam pro canonica negauerint. 156

T

TAlmudiſtarum ſententia, filios filiorum Hilel eſſe duces & legislatores de femore Iudæ, reijcitur. 172

Tartari ſunt Iſraelitæ diſperſi circumciſi, a Deo derelicti propter peccata. 79. Tartari unde dicti. ibid.

Tauri nomine quis ſignificetur cum dicitur Genes. 48. In furore ſuo ſubneruauerant taurum. 41. & ſeqq.

Tempus Meſſiæ cur dicatur nouis ſimum. 9

Terra ſortis Iuda fertibiſſima oſtenditur, cum dicitur, Lauabit in vino ſtolam ſuam,& in ſanguine uuæ pallium ſuum. 179

Toſtatus immerito reprehēdit Paraphraſten Chaldæum circa iura primogenitorum. 22. ipſe verò meritò reiicitur aſſerens regnum non fuiſſe de iure primogenitorum. 27. male ſententiam Caietani reijcit prophetiam Nephthali de duce Barach interpretantem. 199

Totum pro parte & pars pro toto ſæpe in S. ſcriptura ponitur. 4

Tribus Iſrael non ſunt hodie Iudæi ſed gentiles aut Idololatræ. 84. referebant hæreticos quorum multitudo maxima, aliæ autē duæ tribus eccleſiā. 106

Ex omibus Tribubus redierunt permiſſu Cyri regis. ibid.

Tribus regia cum ſacerdotali cur miſcuerit matrimonia. 3. & ſeqq.

Turca-

Turcarum opinio de Tartaris. 79
Tyrannorum & hæreticorum familiæ non ſolent eſſe diuturnæ. 99

V

Varietas translationum locorum S. ſcripturæ unde oriatur. 24
Vaticinia Iacob ſint ne Benedictiones, increpationes an vaticinia. 3. & ſeqq.
Vaticinijs commune eſt arcana eſſe & recondita. 2
Veſtes primogenitorũ peculiares & odoriferæ erãt ueſtes ſacerdotales. 30
Vincula Chriſti quibus detinet homines non ſunt violenta ſed ſponſtanea & tamdiu retinẽtur quã diu ipſi voluerint. 189
Vini in ſorte Iudæ tanta abundatia vt poſſint in eo lauari veſtimenta ſicut aqua copioſe fluenti. 179
Virga ferrea in S. ſcriptura quid ſignificet. 73
Vitis fragilitas hominis libertatem denotat. 179

Z

ZAbulō a patrebñdicitur. 184. nominis etymologia. ibid. habuit ſortem prope mare. ibid. mercibus & rei nauticæ dedita. ibid.
zabulonis prouinciam a Chriſto Domino viſitandam prædicant prophetę, eiuſque præſentia nobilitandam. ibid.
zidon vrbs inſignis in Phęnicia. ibid:
zorobabel dux fuit Hebreorum poſt reditum a captiuitate. 91

FINIS.

IN BENEDICTIONES DVODECIM PATRIARCHARVM COMMENTARIA,

Et quæſtiones in quibus nobiliſſima myſteria declarantur.

AVTHORE REVERENDO admodum P. F. IOANNE BRVNO SCOTO Ordinis Minimorum S. Franciſci de Paula artium liberalium magiſtro, & ſacroſanctæ Theologiæ profeſſore.

ARGVMENTVM CAPITIS.

CAPVT hoc 49. vt omnium, quæ libro Geneſeos continentur, celeberrimum: ita & difficilimum. Oleaſter tam abſtruſa eſſe ſcribit, quæ à Patriarcha Iacob hic dicuntur, vt nõ vereatur affirmare vſq; hodie Chriſtianos, & Iudæos in multis genuinum ſenſum non attigiſſe, quod ex Rabbinis Caput hoc difficillimũ.

Digitized by Google

Ratio obſcuritatis

confirmant, Rabbi Iſaac in expoſitione legis. Obſcuritatis ratio, ea eſt, quia totum caput vaticinia continet multis poſtea ſæculis adimplenda; Commune enim eſt vaticiniorum, recōdita eſſe & arcana, quia *omnis prophetia* (vt pulchrè docet Ireneus) *antequam impleatur, ænigma eſt*. Quæ obſcuritatis cauſſa in his vaticinijs Iacob locum habet, quia non tantum prædicuntur ab ipſo quæ ventura erant filijs ſuis ſub lege, ſed etiam quæ ad tempora Euangelij ſpectant, immo & quædam quæ in conſumatione ſæculi futura, vt ex ſequentibus patebit. Nam cum capite ſuperiori benè precatus fuiſſet duobus filijs Ioſeph nepotibus ſuis, quos diuino conſilio, tanquam filios, in numerum Patriarcharum, aſſumpſit, & perſuaſiſſet filio ſuo Ioſeph, quod non abſque cauſſa præpoſuiſſet in benedictione filium minorem Ephrain maiori Manaſſæ, hoc capite 49. imminente iam, & inſtante mortis ſuę tempore, vocat ad ſe filios, quibus intrepidè prędicit, quæ poſtremis, & nouiſſimis diebus ventura erant: verè inſtinctu Spiritus Sancti, cum futura non minus quam præſentia apertiſſimè cognoſceret. Quoniam autem Abrahæ factæ fuerunt à Deo promiſſiones, quarum illa erat omnium præcipua Gen. 22. *In ſemine tuo benedicentur omnes gentes*; quam D. Paulus tantus ſcripturarum interpres ad Gal. cap. 3. elegantiſſime & veriſſimè de Chriſto eſt interpretatus: idipſum ſpiritu prophetico cum præuideret Iacob promiſſiones in Chriſto eſſe adimplendas,

Prophetia antequam impleatur ęnigma e.

Iacob inſtinctu Spiritus ſancti futura prænouit.

præ-

prædicit hoc loco filijs ſuis cum alia multa, tum præcipue Chriſti aduentum, vt ex hac vita proxime migraturus huius potiſſimum memoriam velut in ænea columna, vt docet D. Chryſoſtomus hom 67. in Gen. inſculperet, & promiſſionum, in quibus Iſraelis erat gloria, finem declararet.

Quamuis hæc vltima pars ſit libri Geneſ. præcipua tamen, & nobiliſſima eſt, quæ non adeo à ſuperioribus dependet: Integri enim libri à Patribus,& interpretibus conſcripti ſunt de hac ſubiecta materia liber à D. Ambroſio de benedictionibus Patriarcharum; duo liber a Ruffino Aquileienſi preſbitero: Et inter recentiores Benedictus Pererius tractatum de hac materia edidit, qui reperitur tomo 2. ſuorum operum in Geneſ. Præſtantia & dignitas huius diſputationis.

TEXTVS.

VOCAVIT autem Iacob filios ſuos, & ait illis; Congregamini, vt annunciem quæ ventura ſunt vobis in nouiſſimis diebus.

OFFERT ſeſe Quæſtio celebris in limine huius diſputationis. *An ſcilicet, quæ à Iacob filijs ſuis dicuntur ſint benedictiones, maledictiones, aut increpationes?*

Quæſtio an quæ à Iacob filijs dicuntur ſint Benedictiones, maledictiones an incre pationes.

RATIO difficultatis varia eſt: poſtrema enim verba, quæ hoc capite referuntur vaticinia continent: Ambroſius de benedictionibus Patriarcharum cap. 2. Origenes cap. 17. in Gen. Theodoretus quæſt. 117. in Gen. Vaticinia omnia hæc eſſe dicenda affirmant, non benedictiones, vt conſtat ex primis verbis capitis, quibus vocantur filij ad audienda, quę ventura ſunt nouiſſimis diebus. Deinde quibuſdam filijs viſus eſt Iacob potius maledixiſſe, quam benedixiſſe; Sic enim primogenitum ſuum Ruben alloquitur *Ruben primogenitus meus tu fortitudo mea, & principium doloris mei, prior in donis maior in imperio, effuſus es ſicut aqua, non creſcas, quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum eius:* Simonem verò & Læui vocat vaſa iniquitatis, & ſubiungit: *Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum, quia dura, diuidam eos in Iacob; & diſperdam in Iſrael.*

Prima ſententia Hebræorũ.

PRIMA ſententia communis eſt Hebręorum, vt teſtatur Rabbi, Iſaac in hunc locum. Et refert Toſtatus quæſt. 1. in hoc caput, Iacob intendiſſe benedicere filijs ſuis, illiſque futura annunciare; ſed recedente ab eo Spiritu prophetico incepiſſe vacillare, interdumque benedixiſſe filijs, interdum maledixiſſe.

Reijcitur vt Impia.

IMPIA omnino iſta ſententia; nam cum Iacob Spiritu ſancto plenus filios congregauerit, vt eis futura, & ſub his myſteria plura reuelaret, quæcunque ab ipſo pronunciata ſunt, eodem prorſus modo fuerint adimpleta, quo prædi-

prædicta, impium eſt credere ſpiritum Domini primo adfuiſſe poſt modum ab eo diſceſſiſſe, & prius excitatum fuiſſe ſpiritu prophetico, vt futura prædiceret, deinceps vero non prædixiſſe.

SECVNDA ſententia eſt Originis hom. 17. in Geneſ. Abulenſis loco citato: Lyrani ſuper verſum 28. huius capitis. Et Pererij proemio libri de benedictionibus Patriarcharum, qui ſentiunt hæc verba ex eo eſſe benedictiones, quia ſub finem capitis dicitur ſingulis filijs benedixiſſe, non quod totum caput contineat benedictiones; conuocat enim Iacob filios, vt annunciet futura, quæ magis prophetiam ſonant: Vnde ex eorum ſententia verba iſta benedictiones dicuntur, ex eo quod poſt prædictiones ſingulorum illis benedixit (ſolet enim ſcriptura totum pro parte, & pro toto, partem ponere.) Pars quidem pro toto ponitur. Matth. capit. octauo. *Multi venient ab Oriente, & Occidente, & recumbent cum Abraham, Iſaac & Iacob*; duabus enim mundi plagis poſitis reliquas voluit intelligi. Et Exod. 34. *Deus conflatiles ne feceritis*, id eſt nullos Deos facietis: ſic prædictiones Iacob ſunt benedictiones, quia præter prophetiam ſingulis benedixit. In hac eadem ſententia ſunt Martinus Martines lib. 9. hipotipoſeon. Et ex Patribus Beda in quæſt. ſuper Geneſin tomo 8. & confirmat horum dicta Ioſephus lib. 2. antiquitatum Iudaicarum cap. 4. vbi ſcribit Iacob ante mortem præ-

Secunda ſententia Originis. & Pererij

Pars pro toto, & pro parte totum poni tur in ſcriptura.

catum fuiſſe filijs proſperitatem, & abundantiã, & vaticinatum fuiſſe, nepotes ſuos peruenturos in terram Canaam. Sed hæc ſententia non videtur vera cum non referat benedictiones quibus benedixit Iacob filijs ſuis oib. in particulari.

Reijcitur ſententia Pererij.

TERTIA ſentētia eſt Caietani exiſtimātis totum caput nihil continere præter benedictiones, & benedixiſſe filijs ſuis Iacob ſicut exigebat ſingulorum conditio: vt intelligeremus etiam quæ mala ſunt, ſiue culpæ, ſiue pœnę dicta eſſe à Iacob benedicendo: nam arguere & punire nō ſunt aliena à paternis benedictionibus.

Tertia ſententia Caietani.

Refutatur.

SED neque hæc ſententia arridet, nã licet arguere & punire non ſint aliena à paternis benedictionibus; tamen niſi aliud addatur, boni ſcilicet, alicuius imprecatio, benedictio nullo modo cenſenda eſt.

Quarta ſẽtentia.

Quarta ſententia eſt nonnullorum exiſtimãtium, benedictionis appellatione in veteri teſtamento hæredis inſtitutionem denotari. Et probant ex cap. 27. Gen. vbi Iacob hæres inſtituitur, quando benedictionem illi impertiuit pater: hoc animaduertit Baldus in proęmio Decretalium.

Reijcitur.

LICET in quibuſdam id verum ſit, in alijs tamen non apparet, ſcilicet in Ruben, Simeon, Lęui Nephtali, & Beniamin.

Quinta ſẽtentia Franciſci Feuardentij.

QVINTA ſentētia eſt Franciſci Feuardentij in cōmen. ſupra cap. 2. libri Ruth. ver. 20. aſſerentis, Iacob morientem benedixiſſe filijs, cum pro illis orauit; quia benedictio in ſcriptura ſigniſi-

cat

cat feruentem præcationem.

HOC etſi verũ ſit, tamen huic loco minimè conuenire poteſt, niſi ex parte, cum Iacob pro omnibus filijs non orauerit. Reijcitur

Poſtrema ſententia eſt D. Chryſoſtomi, hom. 67. in Gen. Et in Pſal. 108. & Theodoreti quæſt. 109. in Gen. Petri Comeſtoris in hiſtoria libri Geneſ. cap. 113. Lippomani in catena, & aliorum, iſtas dici benedictiones, non quod Iacob ſingulis filijs fauſta, & felicia fuerit præcatus; ſed quod benè & propheticè dixerit omnia. Quod enim benedicere & benedictio in ſcripturis idem ſit atque prædicere, & prædictio conſtat ex eo quod Hebraicum verbum ברך Barach non tantum benè precari ſignificet, ſed etiã ſermonem erga aliquem dirigere, vt fit, quando quempiam ſalutamus, & cum alicui vale dicimus. Sic 1. Reg. cap. 13. verſi. 10. Scriptum eſt. *Ecce Samuel ueniebat, & egreſſus eſt Saul obuiam ei, vt benediceret ei*, id eſt, vt ſalutaret eum, & 2. Reg. cap. 8. ver. 10. *Miſit Rex* Emath *Ioram filium ſuum ad Regem Dauid vt benediceret ei*, id eſt, vt ſalutaret eum. Sic enim Hebraïſmum eruditè vertit Vulgatus interpres vtroque loco, & Gen. 47. *Benedixit* Iacob *Pharaoni* id eſt, ſalutauit. eodem modo Græci vocem εὐλογεῖν vſurpant, quia apud Platonem 2. de Repub. Benedictio pro bona oratione ſumitur. Et Latini quoque benedicere ſumunt, pro benè loqui. Vnde benè dicere eſt futura prædicere, quaſi dicas: Benedixit Iacob filijs ſuis, quia vnicuique futura

Vltima ſententia S. Chryſoſt.

Benedicere & Benedictio idẽ quod prædicere & prædictio.

εὐλογεῖν quid proprie ſignificet.

prædixit. Quare ſentiunt hi auctores, Iacob nō dixiſſe bona ſingulis filijs, ſed benè & prophetícè omnia dixiſſe, quia futura prædixit de ſtatu duodecim tribuum. Hanc ſententiam ſecutus eſt Vatablus Numerorum 44.

Obiectio.

QVOD ſi obijciat quiſpiam, non omnibus futura prædixiſſe, vt apparet ex Ruben, Simeon, & Læui, quos tantũ videtur increpaſſe. Reſpondeo, etiam illa, quæ videntur ad increpationem ſpectare, eſſe prophetica, hic enim eſt ſcripturæ mos, & quæ per modum maledictionis exprimuntur prophetice ſint intelligenda. Sicut docuit Theodoretus in Pſalm. 108. Chryſoſtomus & Euthimius ibidem. D. Hieron. ſupra cap. 1. Threnorum D. Auguſt. libro de ſermone Domini in monte & in Pſal. 27. & 105. & D. Gregorius lib. 14. moralium cap. 7. Hoc itaque explicato reſtat nũc ad text. explicationẽ aggrediamur.

Solutio. Increpationes ad propheciam ſpectant.

Nouiſſimi dies q ſint

ET PRIMO quidẽ quærendum, *Quid ſignificetur per nouiſſimos dies, in quibus dicuntur euentura, quę prænunciantur.*

Prima ſẽtentia Lyrani, dies nouiſſimos eẽ tẽpus Meſſię & legis euangelicæ.

DVPLEX eſt ſentẽtia vtraque probabilis; prior aſſerens per nouiſſimos dies intelligi tempora Meſſiæ, & legis Euangelicæ; Ita Lyranus hoc loco, Adrianus Finus lib. 7. Flagelli contra Iudęos cap. 7. D. Hieronymus in cap. 4. Michæę, & in caput 2. Eſaiæ, & in commentarijs ſuper Ieremiam lib. 6. Theodoretus & Procopius Gaſeus in cap. 2. Eſaiæ D. Auguſt. in epiſt. 80. ad Heſichium Epiſcopum, Iulianus Pomerius lib. 2. contra Iudæos, Aloyſius Lipomanus in catena,

Et

Et Gilbertus Genebrardus in Pſalm. 4.

Hæc autē ſententia confirmatur cum ex veteri teſtamento, tum ex nouo. capite 2. Iſaiæ, & Micheæ cap. 4. *Et erit in nouiſſimo dierum præparatus mons, domus Domini in uertice montium, & eleuabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes,* quem locum ipſi Hebræi affirmant intelligendum eſſe de tempore Meſſiæ, quod verè impletum eſſe dicunt Chriſtiani, cū Eccleſia Chriſti ex gentibus in magnam creuit multitudinem diffuſa Euangelica prædicatione in totum orbē terrarum. Vnde ex Hebræis Rabbi, Moyſes, Gerundeſis vt citat Paulus Burgenſis. *Nouiſſimi, inquit, dies, ſunt dies Meſſiæ, quando Iacob ſignificabat illa tempora, cum dixit, non auferetur ſceptrum de Iuda donec ueniet Silo:* eodem modo exponit locum citatum Micheæ, Rabbi Dauid, Kymhi. Idem etiam probatur ex nouo teſtamento 1. Epiſt. Ioan. cap. 2. *Filioli nouiſſima hora eſt.* Dicitur aūt tempus Meſſiæ nouiſſimum, vel quia huic non eſt aliud tempus ſucceſſurum, ſicuti tēpori veteris teſtamēti ſucceſſit tēpus legis Euangelicæ, Apocal. 10. *Iurauit per uiuentem in ſecula, quia tempus non erit amplius.*

Probatur ſētētia ex ſcript.

Meſſię tēpus cur dicatur nouiſſimum tres aſſignantur rationes.

Secundo, quia omnia quæ in veteri teſtamento tradita ſunt, in Chriſtum vt in finem tendebant. Ita D. Iulianus Pomerius Archiepiſcopus Toletanus lib. 5. contra Iudęos qui reperitur tomo 4. Bibliothecæ ſanctorum Patrū. Tertiam aſſignat rationem D. Hieronymus ſuper locum citatum Micheę, ideo dici nouiſſimā

Secunda Omnia in veteri teſtamento in Chriſtū vt in finem tendebant.

horam

horam quod ſit tempus fidei gentium, comparatum enim hoc tempus, annis a mundi conſtitutione nouiſſimum eſt, & hora nouiſſima. Itaque dies nouiſſimi dies ſunt Meſſiæ aduentus, ſiue dies & tempora legis Euangelicę vſque ad conſummationem ſeculi.

VERVM obſtat huic interpretationi quod quæ prædicuntur à Iacob, non omnia pertinent ad tempora meſſiæ, ſed præcipua, cum plurima fuerint adimpleta ante aduentum Chriſti, ſcilicet quæ euentura erant Iudæis in fine peregrinationis, in terram Canaan de diſtributione tribuum & diuiſione ſortium, vt fuſius poſtea explicabitur.

DICAMVS itaque nouiſſimos dies, à tempore Iacob vſque ad Chriſtum, & à Chriſto vſque ad finem ſeculi, ſic fiet, vt quæ prædicuntur à Iacob filijs ſuis completa agnoſcamus in eorum poſteritate durante adhuc ſtatu veteris populi, ſimulque tempora Chriſti ſignificata oſtendantur.

Secunda ſententia Toſtati tē pro immediate ſubſequēs eē nouiſſimos dies.

ALTERA ſententia eſt; per nouiſſimos dies intelligi tempus ſubſequens immediate res, di quibus agitur; ita gloſſa interlinealis, lyranus, Toſtatus, Galatinus lib. 5. de arcanis Catholicæ fidei capitul. 2. Ioannes Ferus, Pererius hoc loco, & Ribera ſuper cap. 4. Michee. locus eſt ſatis apertus ad id probandum Danielis capit. 2. vbi explicaturus Propheta ſomnium Nabuchodonoſoris, ſic ait. *Eſt Deus in cœlis reuelans myſteria, qui indicauit tibi Rex, quæ ventura ſunt*

in

in nouiſſimis temporibus. Quo loco non tantum Deus indicauit Nabuchodonoſoris regni exitum, ſed etiã ſub multiplici materia ſtatuæ oſtendit quę poſt dies Nabuchodonoſoris futura, nẽpe ſucceſſionem imperiorum Perſarum, Græcorum, & Romanorum, atque vt explicaret Propheta quinam eſſent dies nouiſſimi, in quibus futura eſſet regnorum mutatio, addidit. *Tu Rex cogitare cœpiſti in ſtrato tuo quid eſſet futurum poſt te, & qui reuelat myſteria oſtendit tibi, quæ ventura ſunt*. D. Hieronymus in comment. ſuper hunc locum ſic ſcribit. *Nouiſſimi dies aut ex eo numerandi ſunt tempore, quo Danieli reuelatum eſt ſomnium vſque ad conſummationem ſæculi, aut certè hoc cenſendam, quod vniuerſa interpretatio ſomnij tendat in finem, in quo imago & ſtatua quę cernitur conterenda eſt*. Sic D. Hieronymus. Alter eſt locus Ieremię cap. 49. probans hanc ſententiam. *Et ponam ſolium meum in Aelam, & perdam inde Reges, & Principes, ait, Dominus: in nouiſſimis autem diebus reuerti faciam captiuos Aelam*. Quo loco vaticinatur Propheta in principio Regni Sedechiæ Regis Iuda cõtra Aelamitas, id eſt Perſas, q. dicti ſunt Aelamitæ ab Aelam. filio Sem filij Noe. De quibus agitur Eſaiæ cap. 25. Actorum cap. 2. Et apud Ioſephum lib. 5. antiquitatum capit. 14. & pollicetur Dominus ſe perditurum Reges, & Principes eorum & in nouiſſimis diebus reductur ũ captiuos Aelam, id eſt, vt docet Galatinus lib. 5. capit. 2. Captiuos exiſtentes in Aelam, vel Perſide, quod adimpletũ eſt quãdo,

Cyrus

Cyrus Rex conceſſit facultatem Hæbræis, reuertendi in Iudeam. Ex quibus concludit Galatinus, nouiſſimos dies non ſemper ſignificare dies Meſſiæ, ſed tempora quæ ſequuntur res de quibus agitur.

Cæterum vtraque ſententia probabilis, & licet quædam prædicta à Iacob ventura eſſent in fine peregrinationis ingredientibus nepotibus terram Canaan, vt dictum eſt, tamen alia, & ea quidem præcipua adimplenda erant in aduentu Meſſiæ, de quibus non eſt dubium, quin Iacob dixerit; *Audite quę uentura ſunt vobis in diebus nouiſſimis*, quando ſcilicet Meſſias venerit, vt ſit ſenſus, multa annunciaturus ſum vobis, quæ ſuo tempore ſunt ventura, ſed præcipua ſunt de diebus Meſſiæ, eiuſq; aduentu. Vnde docet Caietanus, quando dicitur Iacob annunciaturus quæ ventura ſunt in nouiſſimis diebus, non ſignificari menſuram omnium quæ pręnunciauit Iacob, ſed præcipuorum, quæ ſpectabant ad Meſſię venturi conditionem.

VATICINIVM PRIMVM DE RVBEN.

TEXTVS.

Ruben primogenitus meus, & fortitudo mea, principium doloris mei.

Ordo idē non ſeruatur vbiq; in recenſendis Patriarchis.

OBSERVAT Origenes homil. 17. in Geneſ & Ruffinus initio lib. 2. de benedictionibus Patriarcharum in ſingulis quibuſque locis, vbi ſcriptura Patriarchas duodecim

decim commemorat eundum ordinem non ſeruari. Nam alius eſt in eorum natiuitate Geneſis 35. alius cum intrāt terram Aegypti vna cum patre ſuo Iſrael Geneſ. 46. alius hic cum à patre moriente benedicuntur; alius cum ex Aegypto egrediuntur, alius cum in deſerto aliquid agere memorantur num. 1. 2. 7. 10. 13. 26. & 34. alius denique cum terram Canaan ingrediuntur & à Moiſe iterum benedicuntur Deuteron. 27. & in tantum iſte ordo variatur, vt quidam ex ipſis interdūm nec ſcripti inueniantur, quod certè aliqua de cauſa factum eſt, quam tamen Origenes, & Ruffinus non adferunt, quia propoſitum illis tantummodo eſt explicare ea, quæ in benedictionibus continentur. Atq; vt de cauſis variati ordinis in alijs ſcripturæ locis taceamus, cum ſit præter inſtitutum, incipit hic Iacob à Ruben ſeruato ordine genituræ & ait. *Ruben tu primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei*, quia genitus es, cum eſſem in florenti ætate. Genitus eſt ſiquidem Ruben anno 84. Iacob, quod tempus propter longæuam eius vitam, florens poteſt dici ætas, cū mortuus fuerit anno ætatis ſuæ 147. Et nota pro eo quod vulgatus interpres habet, *fortitudo mea, & princi pium doloris mei*, in Hebręo eſt, fortitudo mea & principium roboris mei, vel doloris mei dictio enim Hebræa אוני oni, vtrumque ſignificat. Vnde noſter interpres rectè dicit. *Principium doloris mei*. Primogenitus ita vocari ſolet vt docet Rabbi Abraham, quia incipit dolorem adferre patri.

Iacob cur incipit à Ruben.

patri. Septuaginta interpres, quos Græci patres ſequuti ſunt, tranſtulerunt, Ruben primogenitus meus, & principium filiorum meorum. D. Hierony. in quæſt. Hæbraicis: Primogenitus meus, fortitudo mea, & capitulum in liberis meis. Caldæus Paraphraſtes, & Hebręi vertunt. Ruben primogenitus meus, & tu robur meum, & principium fortitudinis meæ; Notat Origenes, Iacob initio laudaſſe Ruben, cum dixit, tu virtus mea, & initium filiorum meorum, vt grauius notetur in crimine, qui cum eſſet Primogenitus filiorum, neſciuit ſeruare Patri reuerentiã, quale eſt illud Ieremiæ ca. 2. vbi dicitur. *Ego plantaui te vineam electam, omne ſemen verum, quomodo ergo conuerſa mihi es in prauum uinea aliena?* D. Chryſoſtom. hom. 67. in Gen. ex his docet maximam ſapientiam Iacob, qui volens accuſare primogenitum ſuum, prius dixit priuilegia illi à natura conceſſa, & dignitatem quam habebat, poſtea vero peccata illius deſcripſiſſe, vt demonſtraret nihil prodeſſe nobis quæ à natura in ſunt, niſi & animi dotes ſequantur. Cęterum varię aſſignantur cauſę à Patribus & interpretibus, cur Ruben dicatur principium doloris patris Rupertus lib. 9. de trinitate, cap. 26. ideo dictum putat, quod aſcenderit cubile patris ſui, vt ſequentibus verbis docet textus. Hoc (inquit) Rupertus principium doloris extitit, non quod in nullo ante doluerit Iacob, ſed q̃a verus dolor de plaga peccati primum in domo eius accidit quando audiuit vẽditionem filij Ioſeph ſi intel-

Rubẽ quare initio laudatẽ a patre.

Rubẽ cur dr̃ principiũ doloris patris.

ligat

ligat. Rupertus dolorem Iacob, de Ruben creuiſſe in venditione filij, refragratur ſcriptura Geneſ. 37. vbi cum fratres vellent Ioſeph occidere, conatus eſt Ruben illum liberare, ne effunderetur eius ſanguis, ſed proijceretur in ciſternam, volens eripere eum de manibus fratrum, & reddere patri ſuo. Rurſus paulo inferius cum Ruben non inueniſſet Ioſeph in ciſterna, dixit, *Puer non comparet, ego quo ibo?* Si autem intelligat Rupertus dolorem Iacob cœpiſſe in Ruben, & auctum eſſe in alijs filjs, quã do vendiderunt Ioſeph; ita prorſus eſt, ſed ſcriptura iuxta vulgatam editionem non exprimit. Reijcitur explicatio Ruperti.

Lyranus ſentit Ruben dictum eſſe principiũ doloris Iacob, quod cum eſſet patris fortitudo, & per conſequens in ipſo lucere deberent dona virtutis & gratiæ potius, quam in aliis fratribus minoribus, econuerſo factum fuerit quod extiterit principium doloris, quãuis enim hic multos labores pertulerit, nullius tamen erant momenti, & pro nihilo reputati, ſi comparentur cũ dolore, quẽ accepit de innormitate ſceleris Ruben, qui vt expleret libidinem ſuam, cum Bala vxore ſua concubuit. Hanc lyrani interpretationem duabus de cauſis improbamus; Primo quia refert fortitudinem ad virtutem, & gratiam quæ in Ruben lucere debuerunt, cum potius fortitudo demonſtret robuſtam ætatem Iacob in qua genuit Ruben; Secũdo falſum eſt, magis doluiſſe de ſcelere Ruben, quam de alijs quibuſcũque quæ ſibi euenerant conſtat enim ex ſcriptu- Secunda ſententia Lyrani. Reijcitur

ta vehementius doluiſſe de amiſſione filij ſui Ioſeph, quanquam factum Ruben multo grauius eſſet venditione Ioſeph.

Tertia ſententia.

Alij putant ideo Ruben dictum eſſe initium doloris, quia cũ Iacob ipſum genuiſſet ex Lya, cepit Rachel inuidere ſorori, quod quatuor filios genuiſſet, ſcilicet Ruben, Simonem, Læui, & Iudã: Gen. cap. 29. ex qua inuidia doluit Iacob, & per conſequens initium doloris eius fuit Ruben. Neque hæc interpretatio nobis arridet, cũ nihil huiuſmodi ſcriptura indicet; neque videtur doluiſſe Iacob, eo quod Rachel inuideret Lyæ; illa ſiquidem, vt eo loco eruditè obſeruauit Lipomanus in catena, non inuidebat natos eſſe Iacob marito quatuor filios ex Lya, neque inuidebat ſorori ſuę propter filios; ſed ægrè ferebat ſe ſterilem eſſe, & maritum ſemper adeſſe ſorori Lyæ tot filios generanti.

Refutatur

Rachel cur inuidebat ſorori Lyæ.

Tertia ſententia.

Rabbi Moyſes Gerundenſis, vt refert Paulus Burgenſis hic additione ſecunda, & alij Rabini aſſerunt, dictum eſſe Ruben initium doloris, id eſt fortitudinis, vt ipſi interpretantur ex Caldeo Paraphraſte, quia Iacob antequã Ruben gigneret, non emiſerat de ſe ſemen, ex quo voluit commendari ipſius caſtitatem, qui ante 83 ætatis annum mulierem non cognouerat; Sed neq; hæc interpretatio placet; Nam quod ad commendationem caſtitatis Iacob attinet, non eſt dubitandum id non fuiſſe, ſed quod ex loco ſcripturę colligatur, nulla ratio nos cogit, quaſi fortitudo viri in emiſſione ſeminis ſit, niſi fortè per ſemen filiorum

Improbatur.

liorum generatio appareat.

Voluerunt alij Ruben dictum eſſe fortitudinem patris vel dolorem, quia in virginibus primus congreſſus non eſt, niſi cum dolore; quæ explicatio probari pōt ex Pſalm. 77. *Et percuſſit omne primogenitum in terra Aegypti, primitias laborum eorum*, vbi primitiæ laborū, primogeniti dicūtur vt ibi doctiſſimè annotauit Genebrardus; ſunt etiam primitiç laborum matrum, nam primogeniti partu laborioſiori edūtur propter matricem nūquam prius apertam. Et hæc interpretatio nobis magis quadrat, quamuis et illa non ſpernenda, quæ aſſerit primitias laboris dici primogenitos, hoc eſt, primitias roboris, & virilitatis, quia in primogenitis pris. virilitas oſtēditur. **Quarta ſententia.** **Primogeniti primitiæ laborū parētum ratio.**

TEXTVS.

Prior in donis, maior in imperio: effuſus es ſicut aqua, non creſcas, quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum eius.

RVBEN quia fortitudo erat Patris, & principium doloris eius, ideſt primogenitus; prior debuit eſſe in donis, & maior in imperio. Hic locus variè vertitur ab interpretibus, vt animaduertunt Toſtatus, Caietanus, & Eugubinus; vnde & obſcuriſſimus, cuius **Varia huius loci trāslatio.**

rei cauſa non alia eſt, quam fœcunditas ſacrę linguæ. Septuaginta enim interpretes vertunt, *Durus & peruicax cõtumelia affeciſti*; Paraphraſtes Caldæus; *Tu accepturus eras partes tres, primogenituram, Sacerdotium, & regnum*. D. Hierony. *Durus ad ferendum, & durus procacitate iniuria*. Ita ex ſeptuaginta. Ex Hebræo vertit, *Maior ad portandum, & maior robore*. Aquila, *abundans elatione, & abundans potentia*; Pagninus in Theſauro, *excellentia, dignitas*. Vatablus, *excellentia dignitatis, & excellentia fortis*. Eodem ferè modo Lipomanus in Catena. Caietanus: *Excellentia alta, & excellentia fortis*. Arrias Mõtanus, *extollendi excellentia, & excellentia fortis*. Vt ergo præcipuos ſenſus explicemus, nobis primo occurrit verſio vulgata.

Rubẽ cur prior in donis. Sacerdotium primogenitis erat annexũ.

Ruben dicitur prior in donis propter ſacerdotium, quod primogenitis erat annexum, & alia iura, & dona primogenitorum; Maior verò in imperio, ex eo enim quod primogenitus erat, debebatur ei regnum: Vnde D. Hieron. in queſt. ſuper Gen. ſcribit, hunc eſſe horum verborũ ſenſum. *Tu es primogenitus meus, maior in liberis, & ſedebas iuxta ordinem natiuitatis tuæ, accipere debuiſti hęreditatem, quæ primogenitis iure debebatur, ſacerdotium etiam, & regnũ in quibus oſtendebatur honor & robur*. Eodem modo transferũt hæc verba, Beda tom. 4. in expoſitione capit. 48. Gen. Rupertus lib. 9. cap. 26. Vnde apparet vulgatum interpretem nõ modo ſenſum ſcripturæ eſſe aſſecutum, ſed & ipſa verba Hebręa fideliter tráſtuliſſe;

Digitized by Google

ſtuliſſe; Cũ enim dicit, *Prior in donis*, in Hebræo eſt verbum יֶתֶר iether vel mutato puncto vocali יוֹתֵר iother virum excellentem laudabilem, & propterea priorem alio in re quapiã oſtẽdit. Deinde quod in vulgata eſt (*In donis*) in Hebræo eſt verbum שְׂאֵת ſeeth à radice נָשָׂא naſa deductum, quæ radix cum latiſſim è pateat, ſi quæ alia, inter infinitas propemodũ acceptiones in ſcripturis honorare, & donare ſignificat, vt Gen. 19. ver. 21. *Ecce etiam in hoc ſuſcepi præces tuas, vt non ſubuertam urbem pro qua loquutus es:* Vbi quod in vulgari eſt: *In hoc ſuſcepi preces tuas*, in hebræo eſt הִנֵּה נָשָׂאתִי פָּנֶיךָ hinneh naſathi pannecha, ecce ſuſcepi, id eſt honoraui faciem tuam; & rectè, quia in eo à Domino honoramur, quod orationes noſtras ſuſcipit, & exaudit. & Pſalm. 25. ver. 1. *Ad te Domine leuaui animam meam*, in Hebræo eſt נַפְשִׁי אֶשָּׂא אֵלֶיךָ יְהוָה napſchi eſſa elecha adonai. Tibi Domine animam meam donabo. Vt etiam animaduertũt Rabbi Moiſes, & Rabbi Dauid Kimhi. Ex his conſtat, cur vulgatus interpres tranſtulerit: Prior in donis, nã מַשְׂאֵת maſeath, dicitur munus & pretium Domino. Pſalm. 147. verſ. 2. vbi in vulgato eſt. *Eleuatio manuum mearum ſacrificium veſpertinum*; eſt hæc vox Hebræa; vnde quidam vertunt: *Munus manuum mearum ſacrificium veſpertinum.* Quod etiam ſequitur in textu (*maior in imperio*) optimè quadrat cum Hebræo. Nam regnum apud Hebræos עֹז has,

A Deo honoramur quando orationes noſtras exaudit.

dicitur Pſalm. 85. ver. 16. *Da imperium puero tuo*, in Hebræo eſt, תְּנָה עֻזְּךָ לְעַבְדֶּךָ tennah ouzecha leabdecha, da robur, potentiam, & victoriam: & aptè imperium robur dicitur; quia robur, potentia, & victoria Regis ſunt maximè propria, quo modo virtus & fortitudo, & regnum Deo tribuuntur. Apocalyp. 7. ver. 12. *Benedictio & claritas, & ſapientia, & gratiarum actio, honor, virtus & fortitudo Deo noſtro.* & cap. 4. ver. 11. Viginti quatuor ſeniores ante thronũ dicebant: *Dignus es Domine Deus noſter accipere gloriã, & honorem, & uirtutem.* Quibus locis virtus & fortitudo poſita ſunt pro potentia & robore vnius exercitus, quod indicant vocabula Græca à D. Ioanne poſita δυνάμις & ἰσχύς. Similiter cornua poteſtatẽ ſignificant in ſcriptura metaphoricè, vt docuit Theophilactus ſuper cap. 2. Lucæ. quia animalia quæ cornuta ſunt, illa in cornibus robur habent. Præterea cornua non tantum indicant potentiam; verum etiam regnum, Regem, & regni robur: Vel quia Reges olim vngebantur cornu olei, 1. Regum 16. & 3. Reg. 1. Quæ eſt ratio Bedę, Theophilacti, & Euthimij ſuper caput 2. Lucæ: Vel quod certius eſt, & nuper annotauit Ioannes Maldonatus ibidem, ſicut per cornua animalia vim repellunt, & impetum faciũt, & in eis ſuã collocãt fiduciã; ſic Reges in regno, & imperio; Pſal. 131. ver. 28. *Illuc producam cornu Dauid paraui lucernam Chriſto meo*, id eſt, in Sion producam potentiam, regnũ, robur, & regiã maieſtatem Dauidis. Idem etiam probatur ex

Robur, potentia, & victoria regi ꝓpria.

Cornua in ſcript. q̃d ſignificẽt.

Cornua reges & regnum ſignificãt.

cap.7.& 8.Dan. & Ezechiel cap. 29.

CONCLVDAMVS itaq; Ruben, qui in Hebræo dicitur excellẽs, vel excellentia roboris, eruditè explicari in vu gato per maiorẽ in imperio, quia niſi peccatũ Rubẽ in patrẽ; obſtitiſſet, obtinuiſſet imperium ſuper duodecim tribus. Prior quoque fuit in donis, quia ſummũ ſacerdotiũ ad ipſum ſpectabat, ſi iura primogenituræ neſaria libidine non amiſiſſet.

QVOD verò attinet ad uerſionem ſeptuaginta, in qua Ruben dicitur durus ad ferendũ, durus & pertinax, alio ſenſu explicamus cum Origene hom.17.in Gen.& Ruffino hic vt ſenſus ſit. Fuiſti durus, auſterus, rigidus, prædurus ad ferendũ; quaſi dicat Iacob, male, & infeliciter mecũ egiſti, durior fuiſti, quã vt ęquo animo ferrẽ contumeliã latã, temerarius, ſuperbus, tibi placens, et mei contemptor. Hunc ſenſum recipit D. Chryſoſt. hom.67.in Gen. vbi aſſerit Ruben durũ ad ferẽdũ, quia propria temeritate, naturæ dignitatẽ ſibi datã amiſit, & ſimul in patrẽ peccauit, & primogeniturã amiſit. Ex quibus patet ſeptuaginta alio ſenſu verba accepiſſe, ꝙ noſter vulgatus, nihil.n. innuũt de primogenitura, ſacerdotio, & regno Ruben; ſed indicãt tantũ peccatũ eius in patrem, ac ſi Iacob nihil huius modi voluiſſet oſtẽdere, ſed tantummodo nefarium filij concubitũ.

Ruben durus ad ferendũ cur dicatur.

QVAERES, vnde orta ſit hęc varietas trãslationũ, cũ vulgatus interpres inſinuet iura primogeniturę amiſſa: ſeptuaginta vero peccatũ oſtẽdat?

Origo varietatis trãslationum ſcripturæ.

RESPONDEMVS nõ aliũde petendã eſſe, ꝙ ex fonte ſcilicet ex vocibus Hebræis; ex varijs .n.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

tranſlationibus, varij ſenſus, ſine vllo interpretationum, vel interpretum vitio, ſi tranſlationes fideliter expreſſæ fuerint: conſtat enim de integritate vulgatæ ex Tridentino; de fide etiam tranſlationis ſeptuaginta interpretum ex decreto Sixti Quinti, quòd præponitur biblijs Græcis recẽtioris editionis Romanæ. Indicauimus autẽ paulo ſuperius verbum Hebraicum, נָשָׂא naſa longè patere in ſcriptura: vnde ſicut vulgatus interpres verum ſenſum aſſequutus eſt, dum vertit: *Prior in donis, maior in imperio:* Ita ſeptuaginta, cum dixerunt. *Durus ad ferendum, durus & pertinax:* nam verba Hebraica poſſunt etiam & illum reddere ſenſum, verbum enim נָשָׂא naſa inter alia ſignificat ſuſcipere, portare, ſuſtinere, ferre & tollerare, vt ſit ſenſus, Durior fuiſti, quã vt tuam inſolentiam ſuſtinere potuerim, durior & audacior in me patrem tuum, quàm par fuit.

Paraphraſtem Caldeam impugnat Toſtatus ſed immerito.

QVOD attinet ad Paraphraſtem Caldęum, ex his quæ dicta ſunt videmus verum ſenſum exhibuiſſe: quem tamen Toſtatus improbat, quaſi impropriè locutus fuiſſet, cum dixit, Ruben tria habiturum, primogenituram, ſacerdotium, & regnum; cum primum illud à duobus ſequentibus non ſit diſtinctum: primogenitura, enim hic ponitur pro iure primogeniti, cuius tria erãt iura præcipua, regnum ſcilicet, ſacerdotium & duplex portio hæreditatis, quæ omnia luculenter expoſuit Toſtatus ſuper cap. 25. & 27. Gen. Vnde ex eius ſententia Paraphraſtes primogenituram à regno, & ſacerdotio non debuit diſtin-

Primogeniti tria iura regnum ſacerdotiũ, & duplex portio hæreditatis.

guere

guere, cum iſta ſub illa comprehendantur, exiſti mat enim Iacob deſignaſſe omnia iura primogenituræ in his duobus, quæ habentur in textu, ſcilicet (*Prior in donis, maior in imperio*) debuerat enim habere duplicem portionem hæreditatis, quæ data fuit ad Ioſeph, eiuſque liberis Manaſſe, & Ephraim; ſuperiori capitulo, *Duo filij tui, qui nati ſunt tibi in terra Aegypti antequam huc venirem ad te, mei erant, Ephraim, & Manaſſe, ſicut Simeon & Ruben reputabuntur mihi.* **Duplex portio hæreditatis quæ debebatur. Ruben data Ioſeph eiuſque liberis.**

Secundo ius regni debebatur primogenito, quod propter peccatum etiam Ruben tranſlatū eſt in Iudam fratrem eius; his enim duobus omnia iura primogenituræ compræhenſa ſunt, nomine ſcilicet dignitatis, & vtilitatis; ius etiam ſacerdotij vtrumque complectebatur & dignitatē & vtilitatē: dignitatē quia poterat hoſtias immolare corā Dño; vtilitatē, quia recipiebat iura à populo nō modo ſacerdotes Hebręorū, ſed et ſacerdotes Aegyptiorū gentilium vt patet ex cap. 47. Gen. vbi terra Aegyptiorum vniuerſa vendita fuit præter terram ſacerdotum, *Statuta etiam cibaria eis dabantur ex horreis publicis:* Erant etiā ſacerdotibus iura conceſſa longè antea, vt patet ex cap. 14. Geneſ. Melchiſedec, Rex Salem, cui Abraham dedit decimas ex omnibus, quia erat ſacerdos Dei altiſſimi. Magis tamen pertinebat ſacerdotium ad imperium, id eſt, ad dignitatem quam ad bona, id eſt, vtilitatem: nam ſacerdotiū ſimpliciter, & abſolutè includit poteſtatem immolandi & offerendi victimas Deo: ex acciden- **Regni ius quod debebat Ruben tranſlatum eſt in Iudam. Sacerdotiū dignitas erat & vtilitas. Sacerdotum iura apud gentiles. In lege naturæ primitiæ dabantur ſacerdotibus.**

te verò alia iura ſequũtur. Sedentibus fratribus primogenitus honoratiorẽ habebat locũ, ad dignitatẽ & imperiũ pertinebat, quod fratribus benediceret, quia *qui minor eſt, à maiori benedicitur* ad Hebreos 7. Deinde qđ primogeniti veſtibus pretioſioribus induerẽtur, dignitas eſt, demũ qđ à patre moriẽte primo & pręcipuè benedicerentur, eſt etiam dignitas, & vtilitas, quia vtrunque illis concedebatur, & conſtat de benedictione Iſaac data Iacob & Eſau.

Priuilegia primogenitorum.

NON tamen aſſecutus eſt Toſtatus Paraphraſtis mentẽ, explicat.n.quo futurus erat Ruben prior in donis, & maior in imperio, ſiue excellẽs ſublimitate, & excellẽs fortitudine; & optimè diſtinxit hæc tria, primogeniturã, ſacerdotiũ, & regnũ; quia regnũ Iudę datũ eſt, vt inferius dicetur, ſacerdotiũ Leui, primogenitura filijs Ioſeph, ſicut ſcriptũ eſt 1. Paralip. c. 5. vbi manifeſtè diſtinguũtur hæc tria, Primogenitura, ſacerdotium & regnum. Nã licet nomine primogenituræ, ſcriptura ſæpius omnia iura primogenitorũ cõprehendat, quod probant etiã rationes Toſtati; tamen hic, & 1. Paralip. accipitur pro duplici portione hæreditatis, quam accipiebant primogeniti, vt interpretatur Vatablus. Vnde Paraphraſtes optimus ſcripturæ interpres hunc locum ex illo Paralip. exponit, intelligens nomine primogeniturę duplicem ſortem hæreditatis, quã amiſit Ruben, & conceſſa fuit filijs Ioſeph, quod etiam probatur ex capite ſuperiori, Ephraim, & Manaſſe, quaſi Ruben, & Simeon, erũt mihi. Et idẽ

con-

confirmat D. Hieron. ibidem: *Sicut Ruben & Simeon duæ tribus, ſic Ephraim & Manaſſe, duos populos procreabunt, & ita hæreditabunt repromiſſionis terrã, ſicut & filij.* Quare vna tantum portio hæreditatis relicta eſt Ruben, Ioſeph verò duplex portio tradita eſt: Manaſſe accepit vnã portionem hæreditatis, quæ fuit Ruben, vt patet ex cap. 16. Ioſuæ, Ephraim partem patris ſui Ioſeph, Ioſuę cap. 17. ex quibus concludimus primogenituram rectè diſtingui à ſacerdotio, & regno, etſi alioqui complectatur omnia iura primogenitis debita.

Portio vna data eſt Manaſſe quæ erat Rubẽ, altera cõceſſa Ephraim quę erat patris ſui Ioſeph.

ORITVR hoc loco difficultas grauis & difficilis, *Qua ratione ſacerdotium, & regnum primogenitis conueniat?* Nã ex his quæ dicta ſunt de primogenitura Ruben, deduci videtur ſacerdotiũ & regnũ fuiſſe iura primogenituræ, neq; inde diuelli, & ſeparari potuiſſe. Et quidem ſacerdotiũ eſſe ius primogenitorũ. Probatur ex ca. 14. Gene. de Melchiſedech, qui ex eo qđ filius fuerit primogenitus Noe, alio noĩe Sem dictus, ſacerdos erãt Dei altiſſimi; Quod aũt hic fuerit Sem primogenitus Noe, vel ſi ipſe nõ fuerit, tráslatã eſſe ad ipſum primogeniturã probãt D. Hieronym. in traditionibus hebraicis ex Rabinis. Rupertus lib. de Trinitate ca. 12. gloſſa, Lyranus Toſtatus, & Lipomanus in cap. 14. Gen. Deinde cũ primogenitura, vt tradit Ludouicus Molina Iuriſconſultus de Hiſpanorũ primogenitorũ origine lib. 1. c. 1. ſit ius primogeniti honorificũ, & vule competẽs filio, qui primus eſt in ordine naſcẽdi, videntur

Quæſtio Qua rõnẽ ſacerdotium & regnũ primogenitis conueniat.

de iure

Digitized by Google

de iure primogenituræ fuiſſe ſacerdotium & regnum, quæ ſunt iura honorifica, & vtilia; vnde iuriſconſulti enumerantes iura primogenitorũ ante legem datam, inter alia includunt ius offerendi, & ius regnandi: quæ iura in veteri teſtamento fuiſſe aſſerit expreſsè quoad ſacerdotium, gloſſa, in capitulo, Quàm periculoſum ſit 7. q. 1. quam ſequuntur alij Iuriſconſulti, quos refert idem Molina loco citato. Plura hac de re Tiraquellus præfatione commentariorum de iure primogenitorum nume. 18. & 19. Adhæc habuerunt primogeniti veſtem peculiarem pretioſam & odoriferam, de qua Gen. 27. (*veſtibus Eſau ualde bonis, quas apud ſe habebat domi, induit eum,*) quas D. Hieronymus, gloſſa, & Lyranus aſſerunt fuiſſe veſtes ſacerdotales quibus induti primogeniti victimas Deo offerebant.

Ius offerẽdi & ius regnandi primogenitis cõueniebant.

Primogeniti veſtẽ habebant peculiarẽ.

Veſtes primogenitorum odoriferæ & peculiares erant veſtes ſacerdotales.

Regnum etiam fuiſſe iner iura primogenituræ patet ex Gen. cap. 27. vbi quando primogenitura ad Iacob diuino auxilio translata fuiſſet, Iſaac pater ſic alloquitur Iacob filium: *Et ſeruiãt tibi populi, & adorent te tribus, eſto Dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ* & paulo inferius Iſaac ait ad Eſau: *Dominũ tuum illum conſtitui, & omnes fratres eius ſerui tuti illius ſubiugaui.* Patet etiam ex hoc cap. vbi Iacob ait Ruben filio, *Maior in imperio*, regnum primogenito Ruben debebatur, niſi violaſſet thorum patris ſui. Hæc autem ſententia ſanè eſt intelligenda, neque ſimpliciter accipienda, quaſi omnes primogeniti reges fuerint, abſurdũ enim

Regnum primogenitis debebatur.

eſſet

eſſet in vnaquaque familia regnum conſtituere; ſed reſtringendum eſt ad familias tantum, ex quibus reges erant propagandi, vt confirmat Toſtatus 1. Paralip. cap. 5. quæſt. 5. & 6. Ex quo loco colligit ius regnandi non eſſe proprium primogenitorum, idque probat ex eo quod Deus nõ tranſtuliſſet regnum Saul in Dauidem: hic enim nõ erat primogenitus, ſed fratrum minimus, vt patet ex 1. Regum 16. neque poſtquam traditum eſt regnum Dauid ſucceſſerunt primogeniti, Salomon enim non fuit primo natus, ſed Adonias 3. Reg. 5. Salomoni ſucceſſit Roboam, qui elegit Abiam, qui non erat primogenitus. Ex quibus videtur fuiſſe in parẽtum poteſtate ſiue primogenitum ſiue alium minorem in Regem eligere. Sed quicquid ſit de hac Toſtati ſententia, & de regno ipſius à primogenitis ad fratres minores tranſlato, quod abſque dubio particularibus de cauſis, & diuinæ ordinationi tribuendũ eſt; tamen ex his quæ dicta ſunt oſtenditur regnum primogenitorum fuiſſe, idq; ſatis efficaciter ex cap. 27. Geneſ. & ex hoc loco, vbi mentio ſimul fit regni cum primogenitura, quod abſque dubio non fuiſſet facta, niſi in familijs, ex quibus futuri erant Reges, ius Regni competiuiſſet primogenitis.

Primogeniti quõ reges.

Reiicitur Toſtati ſẽtentia aſſerens regnum nõ fuiſſe de iure primogeniti

SED contra hæc quæ diximus tria eaq; difficilia obijci poſſunt.

Obiectio prima.

PRIMO non videtur ſacerdotium fuiſſe de iure primogenituræ: Abel enim natu minor erat, fuit tamen ſacerdos, vt docet D. Hieronymus

Abel Sacerdos natu minor

mus epiſt. 126. vbi inter ſacerdotes numerat Abelem, Enoch, Noe, & Iob. In eadem ſententi eſt Beda in cap. 1. Iob. vt probatur ex cap. 4. Geneſ. dicitur *Abel obtuliſſe de primogenitis gregi ſui, & de adipibus eorum.* D. Paulus idem affir mat ad Hebræos 11. Abraham ſacerdos fuit, v patet ex cap. 15. Gen. & tradit Origenes ſuper caput 1. Iob. & Auctor operis imperfecti hom. 1. in Math. cum tamen non fuerit primogenitus Patris ſui, vt exponunt interpretes ſuper caput 11. Gen. ver. 27. Huic obiectioni reſpondet Pineda ſuper caput 1. Iob, *fortaſſe primogenitos fuiſſe Pontifices ſummos, & ſacerdotes maximos, at verò minores ſacerdotes accipientes à fratribus primogenitis benedictionem potuiſſe eſſe ex fratribus minoribus.* Quæ ſolutio ideo diſplicet, quia Deus numerorū 1. & 3. loco primogenitorum, qui prius miniſterio ſacerdotum fungebantur aſſumit Leuitas: falſum autem eſt, vt ex eodem loco probatur, vel omnes primogenitos fuiſſe ſacerdotes ſummos, vel alios, qui nō eſſent primogeniti, functos fuiſſe officio ſacerdotali.

Enoch Noe & Iob ſacerdotes.

Abraham ſacerdos fuit.

Solutio.

Pinedæ ſolutio reijcitur.

Ideo RESPONDEO ex particulari Dei diſpoſitione factū, vt quidam non primogeniti in ſacerdotes eligerētur, ſicut videmus eadē de cauſa translatam eſſe primogenituram Eſau in Iacob, & Ruben in Leui, Iudam & Ioſeph.

Dei diſpēſatione factū vt quidam non primogeniti in ſacerdotes eligerentur.

OBIICITVR ſecūdo ex Toſtato 1. Paralip. c. 5. quæſt. 6. ſi primogenituræ annexum eſſet regnum, hoc etiam eſſet illius ad quem translata ſunt primogenita: quod tamen falſum eſt, iura

Obiectio ſecunda.

enim

enim Ruben in tribum Ioſeph Iudæ & Leui data ſunt, & primus Rex populi fuit Saul de tribu Beniamin, vt patet ex 1. Reg. cap. 10. non de tribu Iuda.

RESPONDEO Regnum fuiſſe traditũ Saulí mandato Dei; Deus enim qui dixerat in vaticinio Iudæ, non auferendum eſſe ſceptrum de Iuda, iuſſit primum Saulem de tribu Beniamin aſſumi in Regem. Sed de hac re plenius agendũ eſt in vaticinio Iudæ. Itaque ſi inuerſus eſt ordo regni, ex diuino conſilio factum eſt. Solutio.

OBIICITVR Tertió ex eodẽ Toſtato 3. Reg. 1. dictũ eſſe à Berſabee, *Expectare populũ Iſrael, ut indicaret Dauid quis poſt ſe in ſolio Regis ſeſſurus eſſet*: ergo regnum nõ erat de iure primogenituræ, alioquin populus non expectaret Regis ſententiam de ſucceſſore. Et cõfirmatur præterea, quia Berſabee ibidem ex conſilio Nathan prophetæ ait ad Dauid, *Domine mi, tu iuraſti per Deum tuum ancillæ tuæ, Salomon filius tuus regnabit poſt me*, quod iuramentum non fuiſſet licitũ Dauidi, ſi regnũ primogenito cõpetiuiſſet, neque Berſabee ex cõſilio Nathan prophetæ poſtularet iuramentum adimpleri. His & alijs contendit Toſtatus, ius regni pro volũtate patrum transferri potuiſſe in fratres minores. Obiectio tertia.

RESPONDEO etiam hoc in diuinam, & non in parentum voluntatem eſſe reijciendum; vnde diuino conſilio dirigente Iacob tranſtulit regnum in Iudam, ſacerdotium in Leui, & triplicem portionem hæreditatis in Ioſeph. Solutio.

CON-

Cōcluſio quaſtionis

CONCLVDAMVS itaque primogenitos Reges fuiſſe, & ſacerdotes. Vt præter citatos authores confirmant D. Iſidorus lib. 7. Etimolog. c. 12. Beda loco citato. Hoc etiam factitatū fuiſſe in Repub. Romanorum, in qua Reges etiā Pontifices, vt de Numa teſtatur Diony. Halicar. lib. 2. & Plutarchus in eius vita. Idem ſcribit de Galba Suetonius, & de Regibus Lacedemoniorum Zenophon, vt pluribus probat Tiraquellus loco citato à numero 2. vſque ad 36. Deniq; idem probat D. Thom. 1. 2. quæſt. 103. art. 1. ad tertium & 2. 2. q. 87. art. 1. ad tertium.

Reges Pōtifices fuere inter gentiles.

TEXTVS.

Effuſus es ſicut aqua: non creſcas quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum eius.

Varia loci huius trāslatio.

VARIA eſt huius loci verſio, Paraphraſtes Caldæus ita vertit; *quia ſecutus es voluptatē tuam, ſicut aqua effuſa, non proficies, neque accipies portionem ſuper fratres.* Septuaginta ſic tranſtulerunt: *Feciſti contumeliam, ſicut aqua non efferueſcas.* Diuus Amb. lib. de Benedic. cap. 2. refellit Iudæorum ſententiam, qui exiſtimant dicta eſſe hæc verba à Iacob filio ſuo Ruben, quando cum concubina ſua Bala concubuerat: hoc inquit, Ambroſius, erat ante geſtū;

Iacob autem non ea quæ geſta erant, ſed quæ vẽtura in nouiſſimis diebus, dicturum ſe profitetur: vnde exiſtimat, Iacob ſpiritu prophetico vidiſſe futuram Chriſti Domini paſſionem perſequẽtibus Iudæis; & execrari immanem audaciã primogenituræ plebis ſuæ, quę incredula nec legi Dei ſubdita, neſciens portare iugum Domini authorem vitæ crudeliſſimè interfeciſſe.

SED quod plane hæc verba demonſtrent ſcelus Ruben ex contextu ipſo, & communi interpretum conſenſu oſtenditur. Quod verò obijcit D. Amb. Iacob non agere de præteritis, ſed de futuris, non quadrat cum ipſo textu; nam in ſequenti vaticinio de Simeone & Leui, meminit Iacob ſceleris ab eiſdem perpetrati contra Sichimitas in vltionem ſtupri ſororis Dinæ. Neque enim ad prophetiam ſpectant tantum quæ futura ſunt; ſed etiam præterita, quæ occulta fuerunt; immo & frequentiſſime prophetæ memorant res præteritas ſiue ad correptionem, ſiue ad laudem, ſiue ad comminationem. Nam quod ſubijcit D. Ambroſius ſignificatam eſſe audaciã primogeniti populi Iſraelitici in Chriſtum Dominum, verum quidem eſt, non tamẽ ſublato fundamento hiſtoriæ ad allegoricum ſenſum cõfugiendum eſt, ſi quidem quæ narrantur à Iacob verè geſta ſunt: ſub hiſtoria autem non eſt dubium, quin eximia lateant ſacramenta ad Chriſtum, & Eccleſiam pertinentia.

Ad prophetiã ſpectant non ſolum futura ſed ẽt præterita quæ fuerũt occulta.

QVARE improbamus D. Amb. ſententiã, quatenus allegoricum ſenſum approbat, dimiſſo hiſtorico,

hiſtorico, qui fundamentum eſt certiſſimum ſenſus myſtici: Si igitur connectamus hæc cum præcedentibus, dixerat Iacob, Ruben dignitatem ſibi datam, propria temeritate amiſiſſe. Pœnam iſtius peccati oſtendit, vt ſit poſteris eruditio, ne ſimilia tentent. Moiſes decreuit, non licere cum eadem muliere patrem, & filium rem habere. Leuitici cap. 18. *Turpitudinem vxoris patris tui non diſcooperias, turpitudo enim patris tui eſt.* Vnde *effuſus es*, inquit. *Sicut aqua, non creſcas* ac ſi diceret, præceps fuiſti, leuis, inconſideratus, ſicut aquæ leues & veloces quæ diffluunt, idcirco non erit tibi excellentia, & dignitas; voce enim פחז pahlras quidam ex noſtris reputat nomen adiectiuum. Rabbi, Dauid Kimhi exiſtimat eſſe ſubſtantiuum ſignificans leuitatem, velocitatem, feſtinationem. Vnde exponit hūc locum Rabbi Salomon Iarrius, quia feſtinaſti, vt oſtenderes iram tuam, ſicut aquæ quæ feſtinant ad curſum ſuum, idcirco non multiplicaberis, neque accipies dignitates; quæ conueniebant tibi primogenito. In Hebræo videtur eſſe elegans antitheſis, nam פַּחַד pachad eſt pauor ex metu & reuerentia, qua ratione Geneſ. 31. ver. 53. Deus ipſe hoc nomine nuncupatur, ipſi enim timor debetur & reuerentia, ſicut ſcriptum eſt ibidem ver. quadrageſ. לוּלֵי אֱלֹהֵי אָבִי אֱלֹהֵי אַבְרָהָם וּפַחַד יִצְחָק הָיָה לִי

Lule elohe aui elohe, Abraham ouphahad Iſach haia li. *Niſi Deus Patris mei Abraham,*

& ti-

& timor Iſaac adfuiſſet mihi, i. niſi is quē pauit Iſaac, Deus ſcilicet, fuiſſet mecum, vnde ſenſus iſtius loci eſt, debuit tibi eſſe timor & reuerentia, in patrem, qui dicitur פחד Pahad, ſed non fuit niſi פחז pahaz id eſt præcipitantia, temeritas, & leuitas. Ex quibus verbis apparet modeſtia Iacob, qui verecundè, non coitum, dixit, nec compreſſionem; ſed cubile, & ſtratum. Lege cap. 34. Gen. vbi hæc habetur hiſtoria. Alij ex Hebræo ſic vertunt præcedentia verba: tunc ex ſciſſum eſt, tunc pollutum eſt, tunc deſijt ſtratum meum aſcendi: quaſi dixerit conuerſus & loquens non ad Ruben, ſed ad alios fratres ex quo concubuit cum vxore mea, ego non amplius ad illam acceſſi, abſtinui à congreſſu cum illa. Aliter alij interpretantur; ex quo vio laſti lectum meum: aſcendit, id eſt, abijt, ſubaudi, dignitas tua, id eſt priuatus es dignitate, quæ tibi debebatur, & viribus primogenituræ, ſacerdotio, regno, & duplici portione, hæreditatis.

VATICINIVM SECVNDVM DE SIMEONE ET LEVI.

TEXTVS.

Simeon & Leui fratres: Vaſa iniquitatis bellantia. In conſilium eorum non veniat anima mea, & in cœtu illorum non ſit gloria mea, quia in furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſua ſuffoderunt murum, Maledictus furor eorum, quia pertinax, & indignatio eorum quia dura.

EGERAT Iacob de Ruben primogenito, nunc ſermonem dirigit in Simeonem & Leui fratres Ruben, ex eadem matre Lya, quia cæteris hi erant natu maiores, atque de his ſimul agitur, quia par eſt, vt eadem vtriuſque ſit reprehenſio, cum conſortes fuerint eiuſdem ſceleris. fratres dicti ſunt, non quod reipſa non eſſent fratres ex eodem patre & matre, vt conſtat ex c. 29. Gen. Sed quia in occiſione Sichimitarum ſocij fuerint; ideo enim addit, *Vaſa iniquitatis bellantia.* D. Hieronymus ita hunc locum vertit in quæſtionibus hebraicis: *Simeon & Leui fratres uaſa iniquitatis arma ſiue Machera eorum.* Eodem modo Rabbi Salomon, & Varia tráſlatio loci.

Dauid

Dauid Kimhi, quibus dictio hebraica מְכֵרֹת maechera gladium ſignificat, ſicut apud Græcos, & Latinos. Vnde ſenſus idem prorſus erit qui in Vulgato; nempe gladij Simeonis, & Leui inſtrumenta fuerunt iniquitatis. Pagninus vertit. *Simeon & Leui fratres vaſa, & inſtrumenta iniquitatis in habitationibus ſuis, vel vaſa iniquitatis habitationes eorum*, quia Sichimam inniquè poſſederunt. Alij minus rectè, *Vaſa iniquitatis traditiones eorum*, quia tradiderunt ſei pſos morti, id eſt, mortis periculo, quando occiderunt Sichemitas. Paraphraſtes Caldæus, *Simeon & Leui viri fortiſſimi in terra peregrinationis ſua fecerunt fortitudinem*; ac ſi diceret, Simeon, & Leui in terra Sichem, in qua habitabant vt peregrini, & hoſpites occidendo Sichemitas fortes ſeſe voluerunt oſtendere. Septuaginta interpretes, *Simeon & Leui, fratres, conſummauerunt iniquitatem propoſiti ſui, vel electionis ſuę, aut voluntatis ſuæ:* ſumma enim eorum fuit iniquitas, quia dolosè contra fœdus initum viros Sichem occiderunt, & contra ius pacis ſanguinem fuderunt innocentium.

D. Ambroſius ſicut in ſuperiori vaticinio, ita & hic reprehendit Hebræorum interpretationem, qui arbitrantur Iacob arguere duos filios, Simeonem & Leui propter vindictam ſumptã de ſtupro ſororis Dinæ cuius hiſtoria legitur cap. 34. Gen. Exiſtimat enim vindices extitiſſe, & vltores violatæ caſtitatis, quod Iacob condemnare non poterat, immo probauerat cum Sichi- **Ambroſij expoſitio huius loci**

mā poſſideret, illamq; donaret filio ſuo dilectiſſimo Ioſeph, vt habetur cap. 48. *Do tibi Sichimam præcipuam ſuper omnes fratres tuos, quam accepi de manibus Amoreorum in gladio meo, & arcu.* Quare exiſtimat D. Ambroſius ſpiritu prophetico Iacob dirigere ſermonem in ſcribas, & Pontifices, quorum patres fuerunt Simeon & Leui: ille ſcribarum, hic Pōtificum & Sacerdotum, & præcipuè loqui de Caipha principe Sacerdotum, quo Pontifice ea cōmiſſa ſunt in Chriſtum Dominum, quæ Euangelij ſeries declarauit. Vnde totum hoc vaticinium proſequitur myſtica expoſitione, declarans ſingulas ſententias de his, quæ Scribæ & Sacerdotes contra Chriſtum Dominum cogitauerunt.

Reijcitur hæc expoſitio.

SED ſicut hanc ſententiam in ſuperiori vaticinio; ita & hic improbamus, quatenus tollit ſenſum hiſtoricum: hiſtoria enim de cæde Sichimitarum in vltionem ſororis Dinæ per Simeonem & Leui apertiſſimis verbis proponitur cap. 34. Gen. Quod autem ad illam hiſtoriam omnino reſpiciant verba hæc, ſatis indicat textus, & præcipuè illa verba quæ rem iam antea geſtam narrant (*Quia in furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſua ſuffoderunt murum*) neſcio enim quomodo hæc verba ad futuram Domini paſſionem, & non ad eam quæ iam præceſſerat vltionem Sichimitarum contra textum & conſenſum communem interpretum referantur. Nam quod nitatur probare D. Amb. Simeonem & Leui iu-

ſtas

Digitized by Google

ſtas cauſas habuiſſe vlciſcendi ſtuprum ſororis, non liberat eos à culpa propter quam ipſos hic corripit Pater Iacob. An verò potuerit condemnari factum Simeonis & Leui, & qua ratione illud fuerit laudabile paulo inferius diſputabitur.

QVOD autem factum hoc probatum fuerit à Iacob cum Sichimam poſſideret, & morti proximus illam filio ſuo Ioſeph donauerit, quā aſſerit in gladio & arcu ſe accepiſſe ab Amoreis, nō confirmat D. Ambroſ. ſententiam. Nam in vulgata editione non habetur, vt in ſeptuaginta Interpretibus. *Ego do tibi Sichem precipuam, ſed do tibi partem vnam*; & hoc propter homonymiā dictionis Hæbraicæ שְׁכֶם ſchechem, quæ ſignificat partē & portionem: nam ſi de loco ageretur, nō dixiſſet do tibi Sichem vnā, ſed do tibi Sichemam, quæ eſt ratio Lipomani in Catena, neque fortaſſe ſeptuaginta interpretes Sichimā poſuerunt pro nomine loci proprio, ſed pro appellatiuo. Quod ſi Sichima ſignificet nomē vrbis, id eſt, vrbem Samaritanorum, de qua agit Ioannes Euangeliſta cap. 4. quæ Neapolis dicta eſt teſte Hieronymo in quæſtionibus Hebraicis, potuit dolere Iacob in principio de crudeli cęde Sichimitarum; ſed videns poſtea Dei voluntatem, cō ſenſiſſe in Dominium ſuum transferri ciuitatē, quam poſteri ipſius habituri eſſent in diuiſione terræ Canaā: Pſal. 59. *Lætabor & partibor Sichimam, & conuallem tabernaculorum demetiar.* Sichē nūc Neapolis dicta.

QVOD ſi obijcias, dixiſſe Iacob hanc partem

tem ſe tuliſſe de manu Amorei in gladio & arcu, qua loquendi forma viſus eſt commendaſſe factum filiorum.

RESPONDEO cum D. Chryſoſtomo ibidem non approbaſſe Iacob factum filiorum, quatenus reprehenſibile erat, ſed quia laudabile quid eſſet in eo, vt poſtea dicemus: vel dixiſſe in arcu & gladio ſuo acquiſiuiſſe Sichimam, id eſt in fortitudine, in pecunia nimirum, quam multo labore et ſudore acquiſiuit. Ita D. Hieron. in quæſt. Hebraicis, & patet Act. 9. ver. 16. Poteſt etiam exponi cum Paraphraſte. *Do tibi partem vnam & excellentem quam tuli de manu Amorei oratione mea, & deprecatione*; non enim legitur Iacob præliaſſe vnquam gladio, & arcu contra hoſtes, ſed ſolum orationibus, quæ Deo gratiſſimæ extiterunt, vt patet ex lucta cum Angelo Gen. 32.

Arma Iacob quę fuerint.

OBIICIES ſecundo. Sichimitas non fuiſſe Amoreos, ſed Heuæos, vt conſtat ex initio capitis 34. Gen. & proinde non agi de Sichem vrbe, ſed de parte alia, quam tulerat Iacob.

Obiectio.

RESPONDEO Hemor, & Sichem filium, dictos eſſe à Iacob Amoreos, non Heuæos; vel quia aliqua ratione Heuæi originem ducebant ab Amoreis; vel quia tunc vrbs Sichem erat ſub poteſtate Amoreorum, qui inde non longè diſtabant: Vel denique ita fuiſſe à Iacob nominatos Sichimitas, quod Amorei eſſent fortiſſimi omnium eorum, quos Iſraelitæ debellarunt, ac ſi diceret Iacob. Tuli vrbem Sichem de manu He-

Hemor & Sichē cur dicti ſunt amorei nō heuæi.

Heuæorum,qui fortiſſimi erant, quaſi Amorei; & ideo addit *quam tuli in gladio meo & arcu.*

CONCLVDAMVS itaque myſticè,& allegoricè exponi locum de ſcribis & pontificibus fundamento hiſtoriæ ſuppoſito.

DEINDE oſtendens Iacob ſe ignaro, facinus hoc perpetratũ fuiſſe ad Simeonẽ & Leui, ait, (*In conſilium eorum non ueniat anima mea, & in cœtu illorum non ſit gloria mea,*) Hæc verba per præteritum rectius redduntur à Paraphraſte,*In ſecreto eorum non fuit anima mea, & in cœtu illorum ſiue in congregatione illorum non uenit anima mea*,quaſi dicat, nunquam gloriabor de eorum facto, ſicut ipſi impiè gloriati ſunt in re peſſima. Quod eruditè explicauit. D.Hieronym. in quæſt. Hebraicis: *In arcanum eorum non intret anima mea,& in conuentu illorum non diſſoluatur gloria mea.* Poteſt etiam gloria animam ſignificare,'vt ſit eiuſdem ſententiæ repetitio per diuerſa verba.Sicut Pſal.29 ver.13. *Vt cantet tibi gloria mea, & non compungat*, id eſt anima mea. Aliter poteſt hic locus verti cum Vatablo per ſecundam perſonam. *In arcanum & ſecretum eorum ne venias ò anima mea,& ne venias in congregatione eorum o gloria mea.* Septuaginta interpretes,& ex latinis D.Amb.c.3. de benedict. Patriarcharum, poſteriorem partem huius ſententiæ ſic reddunt. *Et in congregatione illorum non contendant viſcera mea*; quã interpretationem vt omnino diſſonam & falſam reijcit Eugubinus, eo quod nulla ſit ſimili-

Eugubinus male reijcit trãslationem 70.Interpretum.

ſudo in textu Hebraico, eorum quæ ſeptuaginta tranſtulerunt, eam tamen interpretationem ſi ad Hebraicam rectè expendiſſet Eugubinus, abſque dubio, & cum illa conuenire deprehendiſſet, nam כָּבוֹד cauod gloriam ſignificat: כָּבֵד caued, iecur. Vnde D. Hierony. in quæſt. Hebraicis ſequutus, Septuaginta, *Et in congregatione illorum non emuletur iecur meum.* Et quod in Vulgato eſt: *Non ſit gloria mea,* & in Hebræo, *non uniatur gloria mea.* Septuaginta vertunt. *Non contendant viſcera mea,* quaſi dicerent, nō contendant mecum Simeon & Leui, ſicut contenderunt cum innocentibus Sichemitis: in Græcis etiam exemplaribus varia lectio inuenitur, nam quædam habent ἐρίζει cum iota in ſecunda, quod eſt litigare, certare, & contendere, Alij verò habent ἐρείζει, cum ε & iota à verbo ἐρείδω, quod eſt hæreo, firmo, innitor. Et hanc poſteriorem lectionem ſequutus eſt D. Chriſoſtomus hom. 67. in Gen. cum ait, *In communionem illorum non firmentur viſcera mea.*

Subdit huius rei Iacob cauſam. *Quia in furore ſuo occiderunt virum, & in voluntate ſua ſuffoderunt murum)* quaſi dicat, irati occiderunt Sichemitas: (ponitur enim ſingularis pro plurali) *& in voluntate ſua ſuffoderunt murum.* Sic Paraph. & Aben Ezra dictionē Hebręā pro muro poſuerunt. Per murum intelligit ſcriptura, Sichem Ciuitatem per Synecdochem. Quoniam autē Hebraica dictio שור Schor, vel שור

Schour,

Schour, non modo vrbem ſignificat, ſiue murum, ſed etiam taurum, ſiue bouem. Septuaginta interpretes verterunt. *Et in cupiditate ſua ſubneruarum taurum*, quos ſequutus eſt D. Hieronymus in traditionibus Hebraicis. Quis autem tauri nomine veniat intelligendus non conueniant interpretes. Origenes & Diuus Chryſoſtomus ſentiunt ſignificari Sichem filium Hemor Principem vrbis Sichem, quem Simeon, & Leui occiderunt, cum adoleſcens eſſet, & robuſtus viribus. Quidam Hebræorum dicunt ſignificari Ioſeph Patriarcham, quem fratres Madianitis vendiderunt. Hanc ſententiam Hebræi ob eam maximè cauſam libenter amplectuntur, patres ſuos Simeon & Leui liberantes ab occiſione Sichimitarũ: & quod reprehendantur hic à Patre, vt authores venditionis Ioſeph, quod eo confirmant, quia Ruben primogenitus non fuit author huius rei, ſed Simeõ, & Leui; veriſimile enim eſt, (quãuis in ſcriptura non aperta tradatur) minores fratres non cõſenſiſſe, niſi fratres natu maiores Simeõ & Leui eius ſceleris principes extitiſſent. Conſtat aũt Ruben, & Iudam cæteris natu grãdiores nõ acquieuiſſe; Ruben enim primogenitus Ioſephum de manu fratrũ volebat liberare. Iudas verò nè occideretur, ſuaſit fratribus vendi Iſmaelitis; ex quo ſequitur Simeonẽ & Leui iſtius ſceleris authores extitiſſe; & propterea acerbè corripi hoc loco à patre. Probant præterea ex eo quod Ioſeph aſſimilatus fuerit tauro cap. 33. Deuteron.

Quis nomine Tauri intelligatur

Prima ſententia.

Secunda ſententia hebræorũ taurũ denotare Ioſeph.

Pulchritudo eius vt pulchritudo primogeniti tauri, fortaſſe propter imperium & Dominiũ, quod obtinuit ſuper fratres, ſicut prius ſomniauit; vel quod mihi magis arridet propter agilitatem membrorum in portandis oneribus, æquiſſimo enim animo aduerſa quæque, ſi quis alius, ſuſtinuit. Denique confirmant ex cap. 42. Geneſ. vbi Ioſeph cognoſcens fratres, *quaſi ad alienos durius loquebatur*, & relictus eſt obſes Simeon, vt qui princeps fuerat necis Ioſeph ipſe præ alijs puniretur.

Hæc tamen Hebræorum ſententia violenta eſt. Aperte enim indicat textus Simeonem & Leui à Iacob reprehendi propter necem Sichimitarum. Præterea ſuperius cap. 37. vbi agitur de venditione Ioſeph, non tantum de Simeone & Leui, ſed de omnibus alijs fratribus dicitur, quod *ipſum odio proſequerentur volentes ipſum occidere, & mittere in ciſternam veterem*; commune ergo erat odium omnium fratrum, non Simeonis & Leui. Præterea habet ſcriptura fratres mutuo inter ſe loquutos: *Somniator venit, occidamus eum*: Denique verba iſta Iacob *vaſa iniquitatis bellantia*, non poſſunt conuenire venditioni Ioſeph: non enim Simeon & Leui occiderunt Ioſeph, aut manus violentas in illum iniecerunt, quamuis dixerint. *Venite occidamus eum*. Vnde apertè ſcriptura hic refert rẽ geſtam à Simeone & Leui in Sichem. Et fauet nobis ſeptuaginta interpretum translatio. *Conſummauerunt iniquitatem propoſiti ſui, quia in furore*

vere ſuo interfecerunt homines, & in cupiditate ſua ſubneruauerunt taurum, id eſt principem Sichem. Neque admittimus coniecturam, quod Ioſeph Simeonem detinuerit, & reliquos fratres dimiſerit, quia necis ſuæ fuerit auctor, eadem enim de cauſſa manere debuit Leui. Quod ſi quæratur, cur potius Ioſeph Simeonem, quã aliorum fratrum quempiam retinuerit?

Ioſeph cur potius Simeonẽ quam aliorum fratrum quẽpiam retinuerit.

RESPONDEO cum Theodoreto in cap. 42. Gen. Quia non iuuerat fratrem Ruben ſollicitum de ſalute Ioſeph: vel vt voluit Genadius, quia Simeon natu maior erat, & cæteris honoratior poſt Ruben, qui voluit ipſum liberare, vt hac ratione cogerentur fratres adducere Beniamin fratrem minimum in Aegyptum, quem Ioſeph poſtulauerat.

Quæritur, an Simeon, & Leui potuerint iuſtè Sichemitas occidere.

DIFFICVLTAS oritur ex eo, quod Iacob reprehendat filios ſuos Simeonem & Leui propter occiſionem Sichimitarum, An ſcilicet iuſtè reprehendantur, & an peccauerint occidendo Sichimitas propter iniuriam, & ſtuprum illatum Dinæ.

PRIMA ſententia eſt communis Hebræorum iuſtè Sichimitas fuiſſe occiſos, neque doloſe interfectos à Simeone & Leui, aſſerunt enim hos duos fratres verè Sichimitas ad ritum circunciſionis voluiſſe inducere, & cum illis famili-

liariter agere, ſororemque Dinam Principi Sichem in vxorem tradere, neque tunc cogitaſſe illos de interficiendis Sichemitis. Dicunt præterea Hemor & Sichem Principes vrbis doloſè egiſſe, cũ dixerint Sichimitis: *Subſtantia eorum, id eſt Iacob, & filiorum, & pecora, & cuncta quæ poſſident noſtra erunt*, quæ dicta fuerunt ex ſententia Hebræorum, nõ quod voluerint Hemor & Sichem amicitiam & fœdus inire cum Hebræis, ſed ipſos in ſeruitutem redigere, omnemque ſubſtãtiam diripere; quæ fuit fraus magna, & dolus, quam cum cognouiſſent Simeon & Leui cogitare cœperunt de illorum cæde. Ita Hebræi excuſant Simeonem & Leui, & arguunt Sichemitas innocentes.

Reijcitur. SED hæc ſententia non placet: nam licet Sichem rem fœdam commiſerit ſtuprando Dinã, Simeon tamen & Leui non poterant propria authoritate & dolo illos interficere.

Obiectio. QVOD ſi aliquis objiciat Hebræis verba ipſa cap. 34. *reſponderunt filij Iacob Sichem, & patri eius in dolo, ſæuientes ob ſtuprum ſororis.*

Dolus aſtutiam ſignificat. RESPONDENT dolũ ſignificare aſtutiã, ſicut cum Iſaac dixit Eſau, filio de Iacob fratre. cap. 27. Gen. verſ. 35. *Venit germanus tuus fraudulenter*, id eſt aſturè & prudenter. Nam eadem dictio Hebræa מִרְמָה mirma, & hic, & eo loco habetur Paraphraſtes Caldæus fauet huic interpretationi, cum vertit. *Et reſponderunt filij Iacob ſapienter.*

Solutio. SED obſtat huic interpretationi, quod illa dictio

ctio c. 34. non põt ſignificare prudentiã, ſed propriè dolum; ſubiungit enim ſcriptura. *Reſponderunt filij Iacob in dolo, ſæuientes ob ſtuprũ ſororis*, vel vt Hebraicè hī וַיְדַבְּרוּ אֲשֶׁר טִמֵּא אֵת דִּינָה Vaiedabberu acher timme eth dinach, *& dixerunt, quod violaſſent Dinam ſororem ſuam*, ſcilicet ipſe Sichem; ergo ſi voluiſſent tũc acquieſcere dictis Sichem & verũ fœdus et pactũ cũ Sichemitis inire, cur cauſã redderet ſcriptura illius pacifici ſermonis, quod .ſ. Simeon & Leui ſęuirent ob ſtuprũ ſororis: hoc ſiquidẽ nõ benè cohęret, loquuti ſunt ſapiẽter cũ Sichem, & Hemor, volẽtes illi ſororẽ dare, & cũ eis oĩa cõia habere, quia ſæuiebant ob ſtuprũ ſororis, hæc enim nõ eſt recta cauſa animi trãquilli, & ſapiẽtis, ſed potius irati, & vltionẽ appetẽtis. Quare ſcriptura hanc cauſam reddit, quod ſæuirent propter ſtuprum ſororis, quo apertiſſimè oſtẽditur ꝓpriè & verè dolus. Nã quod Paraphraſtes vertit *Sapienter* de ſapientia humana intelligendũ eſt: de qua dicitur Lucę 16. *Sapientiores ſunt filij huius ſæculi filiis lucis in generatione ſua*. His accedit, quod ipſimet filij Iacob demonſtrãt ſe doloſe egiſſe, & Sichimitas interfeciſſe, nõ quod Sichimiti dolo vſi fuiſſent, volentes ipſos in ſeruitutem redigere, & eorum ſubſtãtiam ac facultatem diripere, ſed propter ſororis ſtuprum, vt patet ex cap. 34. Gen. quando reddiderunt cauſam necis; *nunquid vt ſcorto abuti debuere ſorore noſtra*.

SECVNDA ſententia eſt Caietani exiſtimãtis dupliciter iudicari poſſe tam cædem, quam præ- **Secunda ſententia Caietani.**

prædam factam per Simeonem, & Leui, ſecundum rem ſcilicet, & ſecundum modum; ſi modus conſidereretur, manifeſta eſt iniuſtitia: fuit enim dolus, qui licet excuſet à tanto, non tamen à toto; Si verò expendatur res ipſa, iuſtè Simeō & Leui potuerunt occidere Sichemitas, & eorum bona deprędari, eo quod ciuitas Sichem in culpa fuerit tanti ſceleris; ſed cum fictè pacem cum illis inierint, vt poſſent ſcelus vlciſci, peccatum fuit; fides enim etiam hoſtibus ſeruanda eſt. Hactenus Caietanus.

Fides hoſtibus eſt ſeruanda.

TOTA ergo difficultas eſt, & cardo controuerſiæ. An ſublato illo modo doloſo iuſtè potuerint Simeon & Leui authorem ſtupri Sichem & conſentientes occidere? Caietanus videtur ſentire id fuiſſe iuſtum, quia modum tantum reprehendit, non rem ipſam. Et quidem videtur Scriptura cap. 9. Iudith, factum commendaſſe tāquam iuſtum, & rationi conſonum. Sic enim loquitur Iudith. *Dominus Deus Patris mei Simeo qui dediſti illi gladium in defenſionem alienigenarum qui violatores extiterunt in coinquinatione ſua, & denudauerunt fęmur virginis in confuſionem, dediſti mulieres eorum in prædam, & filias illorum in captiuitatum, & omnem prædam in diuiſionem ſeruis tuis qui zelauerunt zelū tuum, ſubueni quęſo te Domine Deus meus mihi viduę.* Quo loco (*in defenſionem alienigenarum*) idem eſt, atque in vltionem alienigenarum. In textu enim Græco eſt εἰς ἐκδίκησιν ἀλλογενῶν. Petrus Comeſtor in hunc locum Iudith ſic diſſoluit

Tertia ſententia Petri Comeſtoris.

ſoluit hanc difficultatem tripliciter conſideran do Sichimitarum cœdem: vel ex parte rei, qua ratione iuſta fuit, ne fœdiſſimum ſtuprum inultum maneret: vel ex parte Sichimitarum, qui nullam egerant pœnitentiam de crimine commiſſo, qua ratione etiam iuſta fuit illorum cœdes. Et his duobus modis poterat Iudith laudare factum Simeonis, & Leui. tertio denique cõſiderari poteſt cœdes ex parte interficientium, quo modo fuit iniuſta, quia contra pactum initum de circunciſione, & contra fidem datã dolo occiderunt Sichimitas. Et hac de cauſa reprehendit Iacob factum Simeonis, & Leui.

SED refragatur huic interpretationi, quod Iudith dixerit, *Simeonem zelaſſe zelum Domini*. Ergo ex parte Simeonis videtur laudaſſe Iudith factum illud. Deinde quod Sichimitę conceſſerint pactum de circunciſione, non videntur digni ſupplicio, quod pœnitentiam non egerint, in eo enim oſtenderunt ſe paratos pro ſcelere perpetrato ſatisfacere. Reijcitur

LYRANVS expendens locum hunc Iudith in facto iſto dicit duo fuiſſe, primum fuit zelus vlciſcendi ſtuprum, & ille licitus, quia non habebant iudicem, qui vellet factum Principis Sichem punire, populus etiam fautor erat ſceleris. Secundo fuit modus vlciſcendi, & hic abſque dubio malus: fregerunt enim Simeon & Leui pactum initum, quod hic reprehendit Iacob. Hæc ſententia videtur coincidere cum illa Caietani. Quarta ſẽtentia Lyrani.

RE-

An ob defectũ iudicis poſſit aliquis auctoritatẽ ſibi aſſumere.

RESTAT tamen ſemper difficultas, & adhuc inquirendum eſt, *An ob defectum iudicis poſſit aliquis authoritatem ſibi aſſumere.* Cum enim Deus iudex ſit ſupremus peruerſorum, ipſi relinquenda eſt vindicta, non potuerunt Simeon & leui iudices ſe conſtituere, & propria autoritate vlciſci crimen. Inter alia enim quæ requiruntur, vt iudicium licitum ſit requiritur auctoritas quæ ſi defuerit, eſt vſurpatiuum & illicitum, vt docet D. Thomas 2.2.q. 60.ar.2. & 6. talem autem authoritatem non habuerunt Simeon & Leui.

Auctoritas requiritur vt iudiciũ ſit licitum.

Quinta ſẽtentia.

ALII reſpondent potuiſſe Simeonem & Leui propter illatam iniuriam bellum Sichemitis indicere, ſicut poteſt Princeps Principi, & hac etiam authoritate poterant illos occidere.

Reijcitur.

SED hæc ratio nulla eſt, quia licet potuiſſent bellum indicere: non tamen indixerunt.

Sexta ſententia.

ALII ita intelligenda eſſe hæc verba Iudith aſſerunt, *dediſti gladium* id eſt permiſiſti vt Simeon accepto gladio illam iniuriã vlciſceretur.

QVOD ſi obijciantur alia verba *qui zelauerunt zelum tuum* quibus non permiſſio, ſed voluntas diuina apertè ſignificatur.

RESPONDENT zelum & deſiderium, quo punire ſtuprum deſiderarũt, quatenus fuit Dei offenſa, iuſtum fuiſſe; propria tamen authoritate crimen vlciſci, non fuiſſe licitum. Iudith autem commendat zelum, quo Dei offenſam punire voluerunt, non tamen ipſorum factum, cum id propria authoritate fecerint.

SE-

Digitized by Google

SECVNDO Reſpondent, Iudith non laudare factum propter defectum iudicis, ſed zelum & deſiderium habendi iudicem, quaſi dicerent, ò ſi haberemus iudicem vlciſceremur hanc iniuriam. In his tamen ſolutionibus apparet ſemper difficultas, quod ait Iudith illos zelaſſe zelum Dei in eo quod occiderint Sichimitas, & mulieres eorum, & Paruulos captiuos duxerint, quæ verba non tantum indicant deſideriũ fuiſſe iuſtum: ſed ipſum etiam factum, ſcilicet occiſionem, ſeruitutem & prædam. Reiicitur

ALII denique reſpondens Simeonem & Leui diuino inſtinctu ad factum illud commotos, illiſque datam eſſe authoritatem id faciendi, vnde nõ propria ſed diuina authoritate, cũ humano iudice carerẽt, id fecerũt, & hoc modo factũ excuſari: quod videtur ſignificaſſe Iudith, cũ ait, *dediſti ei gladium*; potẽtiam n. legitimã is habet, qui ex peculiari Dei ĩſtinctu iudicis officiũ exercet in iudicãdo, vel puniẽdo. Atq; hoc modo ſentit D. Thom. 2. 2. q. 60 art. 6. ad 1. iuſtè Moiſen occidiſſe Aegyptium Exod. 2. verſi. 12. Et act. 7. vbi ſic loquitur D. Stephanus. *Exiſtimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipſius daret ſalutem eis, at illi non intellexerunt.* Eodem modo Phinees occidit Zãbri & Cosbi. Nu. 25. ver. 8. cuius zelus cõmẽdatur Pſal. 105. *Et ſtetit Phinees, & placauit, et ceſſauit quaſſatio, & reputatum eſt ei in iuſtitiam, in generatione & generationem.* Duas alias cauſas adſert D. Thom. facti Moiſis. Vnã ex D. Ambroſio lib. 1. offic. cap. 36.

Vltima ſententia.

Moyſes iuſte occidit Aegytium.

Phynees iuſte occidit Zambri & Cosbi.

com. 1. qui dicit rectè Moiſen occidiſſe Aegyptiũ titulo defenſionis Hebræi, quem Aegyptius percutiebat, vt tradit ſcriptura loco citato: Alteram ex D. Aug. lib. 2. contra Fauſtum cap. 7. Et quæſtio. 2. in Exod. qui exiſtimat reprehẽſibile fuiſſe factum illud Moiſis, profectum tamen ex indole laudabili, ſicut ſolet vbertas terræ ante vtilia ſemina fertilitate herbarum, licet inutilium, laudari. Vnde Simeon & Leui fratres vterini cogitantes iniuriam illatam, & infamiam familiæ ſuæ, de Domino confidentes ad vindicandam iniuriam zelo honeſtatis commoti Sichimitas interfecerunt, non tantum permittente Deo, vt voluit Lipomanus ſuper cap. 34. Gen. ſed etiam probante, vt conſtat ex oratione Iudith. Neque enim ſine vrgente, & magna cauſa Simeon & Leui occiderunt Sichemitas, ſed diuino ſpiritu corroborati; ſicuti Phinees qui nõdum erat ſummus ſacerdos, ſed tantum ad ſummum pontificatum deſtinatus fornicantem occidit. Et Dauid nondum vnctus in Regem inermis, Goliath armatum trucidauit Dei ſpiritu impulſus. 1. Reg. cap. 17. ver. 51. Verum hęc ſunt exempla perſonalia admiranda potius, quã imitanda.

Simeon & Leui in quo vituperandi in cæde Sichimitarum.

2 LICET autẽ Simeon & Leui à Deo poteſtatem acceperint, eã tamen non ſunt benè vſi, & ideo modus, omnium Catholicorum conſenſu fuit fraudulentus. Primo quia doloſè pacem inierunt: Secundò, quia contra fędus initum, & pacem datam Sichimitas occiderunt. Tertiò,

quia veriſimile eſt aliquos fuiſſe in ciuitate Sichem innocētes, qui nihil de crimine nouerāt, occiſos. Denique, quia Sichemitis ſuaſerunt circuncisionem traditam à Deo Hebręis in ſignū religionis illos tamen circumciſos, & veram religionem ſuſcipientes interemerunt.

Queres, An cædes, ſeruitus vxorum & filiorum, præda denique bonorum fuerit pœna debita, & proportionata ſtupro, requiritur enim ad iudicium ex D. Thoma citato quæſt. 60. art. 2. vt procedat ex inclinatione iuſtitiæ; ideſt, vt iudicium ſit conformæ regulis iuſtitiæ.

Cędes, ſeruitus, prædą bonorum fuerint ne pęna propotionata ſtupro.

Legibus imperialibus raptores virginum, viduarum, & ſanctimonialium capite plectuntur leg. 1. cod. de rapt. virginum; & in inſtitutionibus de pub. iudic. §. Item lex Iulia de vi pub. ver. Sin autem per vim, raptus virginis, vel viduæ, vel ſanctimonialis, vel alterius fuerit perpetratus, tum & raptores in his qui huic flagitio opē dederunt, capite plectuntur. In lege Moiſis ſtuprum non puniebatur morte, ſed qui crimen commiſit iubebatur dotare virginem, & habere ipſam in vxorem Exod. 22. & Deut. 22. hic non tantum ſtuprum fuit, verum etiam raptus, qui valde aggrauat crimen commiſſum.

Stupri & Raptus pęna quæ.

Pęna ſtupri in lege Moyſis quæ.

SED quomodo excuſari poteſt depopulatio vrbis, ſeruitus vxorum & filiorum, præda bonorum. Iuſtè etiam hoc fecerunt, quia ferè omnes vel fuerunt ſocij Sichem in crimine, vel annuerunt eius ſceleri, vt clarè oſtenditur ex verbis Iudith: in plurali enim loquitur quaſi de mul-

tis, Et cap. 34. Gen. vbi in vulgato habetur. *Depopulati ſunt in ultionem ſtupri.* In Hebræo euidentius ſonat וַיָּבֹזּוּ הָעִיר אֲשֶׁר טִמְּאוּ אֲחוֹתָם Vaiauoſu hair aſcher timmeou ahotam. Et deleuerunt vrbem quoniam violauerunt ſororem ſuam credendum quoque eſt Simeonem & Leui tam mulieres quàm pueros dimiſiſſe, & bona eis conceſſiſſe. Quod ſi cui hæc ſententia diſplicuerit, dicendum factum eſſe diuino conſilio, qui voluit viſitare iniquitates patrum in vxoribus & filijs, ſicut ſcriptum eſt Exod. 20. *Ego ſum Deus fortis zolotes, viſitans iniquitates Patrum in filiis in tertiam & quartam generationem.* Vide D. Thomam 2.2. quæſt. 87. a. 8. Præterea Deo valdè in viſum erat, vt amicitias & matrimonio iungerent Iſraelitæ cum gentibus terræ Canaan, & fortaſſe hac de cauſa voluit occidi Sichemitas, qui erant Henæi, & ex ſeptem gentibus prohibitis, vt oſtenditur Deut. 7. *Cum tradiderit eas gentes Dominus Deus tuus tibi, percuttas eas vſque ad internecionem, non inibis cum eis fœdus, nec miſereberis earum: neque ſociabis cum eis coniugia. Filiam tuam non dabis filio eius, nec filiam illius accipies filio tuo.*

Quæ omnia præcepit Deus propter periculum idololatriæ & ſeductionis vt ibidem oſtenditur.

TEX-

TEXTVS.

Diuidam eos in Iacob & diſperdam illos in Iſrael.

PROPOSITO peccato Simeonis & Leui ſtatuit hic Iacob ſupplicium peccati; prædico inquit, vobis propter facinus commiſſum diuidendos vos eſſe diuina voluntate, poſſeſſiones proprias non obtinebitis, ſed per aliarum tribuum ſortes diſpergemini.

QVOMODO autem tribus Simeon & Leui inter alias tribus diſperſæ fuerint, queri pōt cum tribus Simeon deſignatam habuerit partē de tribu Iuda, vt ſcriptū eſt Ioſue 19. *Et egreſſa eſt ſors ſecunda filiorum Simeon per cognationes ſuas, fuitque hæreditas illorum in medio poſſeſſionis filiorum Iuda*; vbi numerantur omnes ciuitates ſeptendecim. Tribus autem Leui ſortem propriam & hæreditatem nō accepit, ſed tota in aliis tribubus diſperſa, quadraginta octo vrbes præcipuas ad habitationem habuit. Sicut præceperat Deus numerorū 35. *Elegi quadraginta octo vrbes vna cū ſuburbanis cōtiguis mœnibus uſq; ad mille paſſus per circuitum ad paſcua iumentorum & pecorum.* Has quadraginta octo vrbes ſe paratas legimus in lib. Ioſue cap. 25. aliæ ta-

men additæ ſunt creſcente Leuitarum numero, vt patet 1. Paralip. 6. vbi & vrbes, & ſingulæ tribus, in quibus illi fuerunt deſignantur. Nam in locum hæreditatis Leui ſubrogatus eſt Manaſſes nepos, qui ab auo Iacob in filium fuerat adoptatus, vt habetur Gen. 46. cui ſorte obtigit hæreditas, inter tribus Ephraim & Iſſacchar.

Obiectio. DICES Tribum Simeonis non diſperſam fuiſſe inter alias tribus, ſed ſortem non habuiſſe in partitione terræ promiſſæ, vnde in ſortem Iudæ fuiſſe receptam.

Reſp. Pædagogi & pauperes oẽs de tribu Simeon. RESPONDENT Rabbini impletam fuiſſe hanc prophetiam Iacob, eo quod omnes pedagogi, & pauperes ſcribę fuerint de tribu Simeō; vnde vagabantur per aliorum tribus ſcribentes pro pretio, & inſtruentes pueros ad victum neceſſaria quærentes.

SED quomodo in pœnam datum ſit tribui Simeonis inter alias tribus diuidi, cum diſperſio tribus Leuiticæ maximè facta ſit propter diuinam gloriam, eiuſque cultum.

RESPONDEO diſperſionem etiam Leuitarum fuiſſe pœnalem, non quatenus vergebat in Dei gloriam, ſed quatenus propria caruerint hæreditate, vnam ſi excipias tribum Simeonis. Nam per vaticinium Iacob ſors tollitur à Leui; quod ſi deinceps benedictionem obtinuerint Leuitæ, vt in miniſtros templi eligerentur, id factum eſt propter zelum, quo adorantes vitulũ aureum, occiderũt triginta tria hominum millia, non parcentes fratri, proximo, aut amico, ſi-

Leuitæ quare aſſumpti in miniſteriũ tẽpli.

cut

ut ſcriptum eſt Exod. 32.

EX quibus concludimus iure etiam optimo Simeonem & Leui regno fuiſſe priuatos, cum fuerint vaſa iniquitatis. Rex enim iudicare & regere debet populum, non in iniquitate, ſed in æquitate & iuſtitia.

VATICINIVM TERTIVM DE IVDA.

TEXTVS.

Iuda laudabunt te fratres tui, manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum adorabunt te filij patris tui.

IACOB poſtquam tres priores filios grauiter reprehendiſſet, ad Iudam perueniens, non, ſicut præteritis, in fauſta, & infœlicia annũciat, ſed fortunata, proſpera, & iucunda, vtpote filio ſibi cariſſimo, & ea maximè de cauſa, quod de tribu Iuda Chriſtum in ſalutẽ & Redemptionem humani generis naſciturũ præuideret, qui lætabundus, & præ gaudio exultans lætam laudis & adorationis, atque de omnibus hoſtibus victoriam denuntiat, vt docuit Cœdrenus in compendio hiſtoriarum eumque

ſic alloquitur: *Iuda te laudabunt fratres tui.* Ac ſi diceret, non ſine cauſa fili mi impoſitum eſt tibi nomen Iudæ, id eſt confeſſionis & laudis, te enim laudabunt & confitebuntur fratres tui. Elegantiſſima eſt in Hebræo paronomaſia à Iudæ nomine, ſiue à nomine Hebręo יְהוּדָה Iehuda, ad verbum יָדָה iadah, vt ſcriptum eſt Geneſ. 29. *Quarto concepit & peperit Lya filium, & ait, modo confitebor Domino, & ab hoc vocauit eum Iudam.* In Hebræo eſt

הַפַּעַם אוֹדֶה אֶת־יְהוָה עַל־כֵּן קָרְאָה שְׁמוֹ יְהוּדָה

happaam ode eth adonai al cen careha ſchemo Iehuda. Hac vice laudabo Dominum, idcirco vocauit nomen eius Iehuda. Eſt autem hoc loco talis paronomaſia, nam in originali eſt יְהוּדָה אַתָּה יוֹדוּךָ אַחֶיךָ Iehuda atta iodoucha aecha, quæ latine non exprimunt Emphaſin. Iuda tu es & laudabũt fratres tui, id eſt celebrabunt te, tanquam regio ſceptro dignum, ad te primogenitura pertinebit, tibi regnum & principatum deberi fratres omnes cognoſcent. Nam teſte Theodoreto: tribus Iuda quæ in ipſo hic ſignificatur tribus regia fuit: licet enim in ipſo Iuda quædam fuerint laude digna, eo quod fortis fuerit, conſtans, atque eloquens, vt apparet ſuperius ex cap. 44. vbi in ſummo diſcrimine in quo poſiti videbantur fratres eius, primus ingreſſus eſt ad Ioſeph. & conſtantiſſimè, & diſertiſſimè apud ipſum omnium fratrum cauſam egit, tamen hoc magis referendum eſt

Digitized by Google

ad poſteritatem Iudæ, eiuſque tribum, quod ſtatim cœpit impleri poſt egreſſum ex Aegypto cum ingreſſuri eſſent Iſraelitæ mare rubrum; nam cum tribus omnes formidarent, nec auderent ſequi Moiſen, prima tribus Iuda auſa eſt confidenter ingredi, & Moiſen, atque Aaronem ſequi, propterea prima à Deo ſanctificata: Pſalm. 113. *In exitu Iſrael de Aegypto, domus Iacob de populo barbaro, facta eſt Iudæa ſanctificatio eius.* Denique Iudicum cap. 1. mortuo Ioſue principe & duce Hebræorum cum conſuluiſſent Dominum filij Iſrael dicentes, *quis aſcendet ante nos contra Cananeum, & erit dux belli? Reſpondit Dominus. Iudas aſcendit, ecce tradidi terram in manus eius.* Vnde poſteritas Iudæ per Iudam hic intelligenda eſt, tum propter Dauid Regem primum de tribu Iuda, & eos qui à Dauide orti ſunt, tum etiam quia hæc tribus omniũ fuit potentiſſima, & numeroſiſſima. Nam cum Dauid iuſſiſſet populum recenſeri, et multò ante cum tribus à Moiſe in deſerto numeratæ ſunt, hæc omnium fuit numeroſiſſima. Paraphraſtes Caldæus pluribus verbis hunc locum expreſſit in hunc modũ. *Iuda laudabo te, & non es cõfuſus te laudabant fratres tui, ac ſi diceret.* Iuda, fratres, de quibus hactenus dixi, corripui & nõ laudaui, & iam à te primum laudes filiorum meorum exordiar, quorum tu es præcipua laus, qui non es confuſus, ideſt, non perpetraſti rem fœdam neque aliquid reprehenſione dignum, ſicut

Vnde nomine Iud[æ] intelligun[tur] eius poſteri

cut

cut fratres tui priores,& hac de cauſa inter eos eris excellentior laudæ,præſtantior gloria, inſignior dignitate,prior multitudine, quem omnes aliæ tribus laudabunt, ſecundum nomen tuum erit,& laus tua. ſubdit deinde Iacob laudem Iudæ à fortitudine *manus, inquit, tua in ceruicibus inimicorum tuorum adorabunt te filij patris tui* ac ſi diceret, inter fratres tuos primum obtinebis locum prœliando prælia Domini, te dimicante inimici terga vertent, fugientes perſequeris, & apprehendes; nam hoc ſignificant illa verba(manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum) & proinde non modo adorabunt te filij matris tuæ Lyæ, ſcilicet Ruben, Simeon, & Leui, Iſachar,& Zabulon, ſed etiam filij patris tui Iacob(de ſe enim in tertia perſona' loquitur) quos ſuſcepit ex alijs vxoribus Rachel, Bala & Zelpha,lege cap.29.30.& 31.Gen. Omnes enim quotquot fratres tui ſunt, adorabunt te vt Principem,& coram te procident. Iſaac cum benediceret filium ſuum Iacob cap.27.Gen. ſic eum alloquitur. *Et incuruentur ante te filii matris tuæ,* ipſe enim vnicam tantum habuit vxorem Rebeccam, ideo omnes deſignabat dicens, filij matris tuæ,id eſt poſteri Eſau fratris tui. Iacob verò quoniam plures habuit vxores, vt omnes deſignaret poſteros, dixit *filii patris tui*. Paraphraſtes Caldęus hæc verba ita vertit: *Manus tua pręualebit contra inimicos tuos, diſpergentur hoſtes tui,& praeuenient ſalutantes te filii patris tui.*

tui. Hæc impleta ſunt in Dauide, eius filio Salomone, cæteriſque regibus Iuda, qui de hoſtibus inſignes victorias reportarunt; vt conſtat ex libris Regum. Vnde cecinit ipſe Dauid. Pſal. 17. ver. 38. *Perſequar inimicos meos, & comprehendam illos, & non conuertar donec deficiant*; & quæ ſequuntur.

SI QVERAS quando impletum quod cæteri filij Iacob adorauerint Iudam? Reſpondeo hoc non fuiſſe factum in perſona ipſius Iudæ, neque enim adorauerunt eum fratres eius: nam in Aegypto, vbi Iudas mortuus eſt, nunquam obtinuit principatum; præfuit enim Ioſeph omni Aegypto & cognationi ſuæ, quo defuncto dominati ſunt Aegyptij, qui ſtatim cœperunt Hebræos premere. Quare hic honor Iudæ à fratribus non fuit delatus, ſed eius poſteris, vt eruditè annotauit D. Hieronymus in quæſtio. Hebraicis, & impletum eſt hoc vaticinium regnante Dauide, eiuſque filio Salomone, quo tempore omnes duodecim tribus ſubijciebantur vni Regi de tribu Iuda: poſt mortem autem Salomonis defecerunt decem tribus à Iuda & eius Rege Roboam filio Salomonis, vnxeruntque in Regem Ieroboam de tribu Ephraim. Hæc tamen ex parte & imperfectè in Dauide & Salomone, perfectiſſime in Chriſto adimpleta ſunt, quem Iudæi ſub conſummationem ſæculi ſuſcepturi ſunt, quem omnes gentes, populi, & linguæ adorabunt. Ad Chriſtum

Quãdo fratres Iudæ Iudã adorauerunt.

ſtum enim reſpexit Iacob ſub typo Iudæ Dauidis, & Salomonis, pulchrè animaduertit hic D. Hieron. Vnde in hoc vaticinio maxima latent de Chriſto ſacramenta.

TEXTVS.

Catulus Leonis Iuda ad prædam fili mi aſcendiſti requieſcens accubuiſti vt leo, & quaſi leæna quis ſuſcitabit eum.

COMPARAT Iacob tribum Iudæ catulo leonis, vel leunculo ob regiam poteſtatem & fortitudinem. Leo animal eſt regium; vnde ſcripturæ mos eſt vt docuit D. Chryſoſt. hom. 67. in Gen. per figuram huius animalis regiam authoritatem inſinuare, & proinde ſub catuli leonis metaphora, regnũ prædicitur.

Leo Regiã auctoritatem denotat.

QVERES qũo hoc vaticiniũ Iudę cõueniat?

RESPONDEO ideo quadrare, quia omniũ fratrum erat fortiſſimus, vt ſcriptum eſt 1. Paralip. cap. 5. *Iudas erat fortiſſimus inter fratres ſuos & de ſtirpe eius principes generati ſunt.* Conuenit etiam hoc vaticinium Dauidi, cum eſſet Rex fortiſſimus, ideo catulus leonis, ſiue Leunculus, non leo maior nuncupatur; fratrum enim omnium erat minimus, & adhuc adoleſcens

Dauid catulus leonis, quia fratrum minimus.

leſcens cum fortiſſimo & robuſtiſſimo gigante Goliath pugnans velut catulus leonis pugnare videbatur. Vnde 1. Reg. cap. 17. dixit Saul. *Non vales pugnare contra Philiſtęum hunc, quia puer es, & hic bellator, ab adoleſcentia ſua.* Et cap. 16. dixit Iſſai Pater Dauidis; *adhuc reliquus eſt paruulus, & paſcit oues.* Quia ergo ætate fratrum minimus, Iacob comparat eum leunculo, vel catulo leonis.

Cæterum quidam, quos ſequitur Caietanus exiſtimant hunc locũ ex Hebræo ſic verti poſſe, *catulus, leo, Iuda*, vt deſcribantur duo ſtatus Dauidis, alter catuli, alter leonis, poſterior ſcilicet robuſtior priore: prius tantum fuit Rex ſuper tribum Iuda ſeptem annis, & ſex menſibus 2. Regum. 2. Nam Isboſeth filius Saul, cum quadraginta eſſet annorum conſtitutus eſt Rex ſuper vniuerſum Iſraelẽ ab Abner filio Ner principe exercitus Saulis, quo tempore expleto venerunt vniuerſæ tribus Iſrael ad Dauidem in Hebron, illumque vnxerunt in Regem, & regnauit triginta tribus annis ſuper omnem Iſraelem & Iudam 2. Regum cap. 5. quo tempore fuit Leo, Rex magnus multis gentibus ſub actis 2. Reg. cap. 8. & 10. Paraphraſtes Caldæus eruditè ſenſum horum verborum ita expreſſit. *Dominium erit in principio, ſed in fine magnificabitur regnum domus Iuda.*

OBIICIES Isboſeth regnaſſe tantum duobus annis ſupra Iſraelem 2. Reg. 2. Obiectio

RE-

Solutio. RESPONDEO cum Rabbi Leui, quem citat Genebrardus in Chronographia lib. 1. Anno 3146. verba ſic eſſe accipienda. Iam regnauerat Isboſeth duos annos, quando geſta ſunt quę illo capite narrantur, certiſſimum enim eſt ipſum regnaſſe ſeptem annis, & ſex menſibus, quibus tranſactis Dauid aſſumptus eſt in regem ab omni Iſrael 1. Paralip. c. 3.

In eadem perſiſtens metaphora Patriarcha Iacob ait; *Ad prædam fili mi aſcendiſti*, vel vt vertit Lipomanus; e præda, vel à præda; eodem enim modo verti poteſt præpoſitio מִן min, quæ eſt multiplicis ſignificationis, ſignificat enim propter, vt Hieremiæ cap. 48. verſi. 45. *In vmbra Heſebon ſteterunt de laqueo fugientes*; vel vt in Hebræo eſt בְּצֵל חֶשְׁבּוֹן עָמְדוּ מִכֹּחַ נָסִים betſel, heſbon amedu micoah naſim. In vmbra Heſebon ſteterunt propter potentiam inimicorum fugientes. Eodem prorſus modo; *ad prędam fili aſcendiſti*, hoc eſt propter prædã: & ſenſus eſt: Aſcendiſti prædam reportaturus; quæ de Dauide intelliguntur, qui ſæpè rediẽs à prælijs onuſtus ſpolijs, quæ de hoſtibus reportauerat 1. Reg. cap. 30. ver. 21. cum reduxiſſet omnia quæ rapuerant Amalechitæ clamabant omnes, *hæc eſt præda Dauid*, & paulo poſt verſi. 26. *Venit ergo Dauid in Sicelech, & miſit dona de præda ſenioribus Iuda proximis ſuis dicens: Accipite benedictionem Domini de præda hoſtium.* Senſus itaque talis eſt: Tu Iuda velut Catulus Leonis

nis hoſtes ſuperabis, & ampliſſima ſpolia reportabis: ponitur autem præteritum *aſcendiſti* pro futuro aſcendes more prophetarum, qui propter rei certitudinem præterita vbique vſurpant. Hæc autem vox aſcendiſti, ſiue vt in Hebræo eſt עָלִיתָ alita, non modo inuenitur pro eo, quod eſt è loco humili in altiorem aſcendere, ſed etiam pro creſcere ſumpta metaphorâ ab ijs quæ è terra naſcuntur. Locus eſt inſignis apud Ezechielem cap. 19. ver. 3. *Eduxit Leæna vnum de leunculis ſuis, & Leo factus eſt, & didicit capere prædam, & hominem comedere.* In Hebræo eſt וַתַּעַל אֶחָד מִגֻּרֶיהָ vetaal chad migurea, & aſcendit vnus ex catulis eius, id eſt, creuit vnus ex catulis eius in leunculum iam grandiuſculum, & didicit capere prædam. Sic exponendus eſt locus iſte. Nam & verba ipſa contextus indicant; & optimè animaduertit Rabbi Dauid Kimhi in radicibus, quod egregiè quadrat in Dauidem; quapropter ſenſus nō mutatur in vulgata editione, cum dicitur, *ad prædam aſcendiſti*, quia aſcendit reportando prædam, & creuit poſtquam prædam egit. Duplicem autem habent ſenſum hęc verba *aſcendiſti ad prædam* prior eſt, reportaſti prędā, quia Dauid ex tribu Iuda in captiuitatem redegit hoſtes ſuos 2. Regum cap. 8. & 10. Poſterior ad prædam, vel à præda aſcendiſti; ideſt, liberaſti captiuos. 2. Reg. cap. 3. Vtrumque enim ſenſum cō plectuntur verba Hebræa, vt indicauit D. Hieron.

Præteritū ponitur pro futuro propter certitudinem euentus, & prophetis.

Prima expoſitio huius loci.

ron. loco citato. Et non eſt dubium, quin Iacob in Iuda myſticè denotauerit Chriſtum, qui aſcẽdens in altum captiuam duxit captiuitatem, & ſecum duxit captiuos, qui prius detinebãtur in inferis, lymbo ſcilicet, & purgatorio, iuxta probabiliorem ſententiam.

HANC D. Hieronymi expoſitionem ſecutus eſt Beda hic, & alij recentiores. Ratio autem huius obſeruationis ea eſt, quod nomẽ טֶרֶף tereph rapinam & prædam ſignificet, eam nimirum, quæ pro cibo eſt, vnde etiam ad hominis cibum transfertur Pſalm. 150. טֶרֶף נָתַן לִירֵאָיו tereph, natan lireau *Eſcam dedit timentibus ſe.* Id eſt, prædam dedit, ſiue fractum vt explicat Thargum, indicans propheticè corpus Chriſti Domini, quod ſumpturi erant fideles in eſcam & cibum, quod prius raptum fuit, & dilaniatum, à Iudæis.

Secunda expoſitio. ALITER hunc locum interpretantur quidam ex Hebræis, vt Rabbi Iſaac hic, qui exiſtimant alluſiſſe Iacob ad venditionem Ioſeph, cui non conſenſit Iuda; & probant ex cap. 37. Gen. *Quid nobis prodeſt ſi occiderimus fratrem noſtrum & celauerimus eius ſanguinem: Melius eſt, ve-nundetur*; vnde cum dixit, Iacob, à præda aſcendiſti fili mi, idem eſt, ac ſi diceret à morte Ioſeph abſtinuiſti: Hebræi enim verbum עָלָה alath, aſcendere ponunt, pro abſtinere, locus eſt in ſignis Exod. 40. verſi. 36. וּבְהֵעָלוֹת הֶעָנָן oub healoth, heanam. *Et quando aſcendebat nubes.* id

eſt

eſt quando recedebat, ſiue diſcedebat. Et Ierem. 37. verſi. 10. וְהָיָה בְּהֵעָלוֹת חֵיל הַכַּשְׂדִּים behaia, behealoth chel haccaſdim. *Et fuit cum aſcendiſſet exercitus Chaldæorum*; id eſt, cum receſſiſſet. Hanc interpretationem, etſi proprietas ſacri ſermonis ferre potuit, merito tamen reijcitur à Toſtato, quia licet vẽdere ſit minus malũ, quàm occidere, hoc tamen malum erat, & ideo Iudas non fuit laudandus à patre; nam ſi eo ſit res referenda, magis laudandus erat Ruben, qui conatus eſt omnino liberare Ioſeph, & Patri reſtituere. Maneat itaque interpretatio communis ideo Iudam dici catulum leonis quod cõtra hoſtes robuſtum ſe præbuerit quod non fecit in venditione Ioſeph immo contra catuli naturã ſe ſubduxit à præda Ioſeph.

Septuaginta interpretes ſic vertunt. *Catulus leonis Iuda ex germine fili mi aſcendiſti*; reſpicientes (ni fallor) myſteriũ de Chriſto ex germine Iudæ naſcituro, ſecundum illud Iſaiæ cap. 11. *Egredietur virgo de radice Ieſſe, & flos de radice eius aſcendet*, vt ſenſus ſit, Iuda à germine aſcendiſti, id eſt propter germen Chriſtum, qui ex tua familia naſciturus eſt, creſces: Vnde potius prophetat Iacob de incremẽto Iudæ per Chriſtũ, quàm de temporali eiuſdem augmento. Paraphraſtes Caldæus hanc prophetiã perſpicuè ad Chriſti Domini reſurrectionẽ retulit, cum ait; *Quando de iudicio mortis fili mi animam tuam abſtuliſti*. Planè enim ſignificatur Chriſtum Dominũ eius animam à morte reſurgẽdo liberaſſe, & ita

Digitized by Google

de morte triumphaſſe, Oſeæ 13. ver. 14. *Ero mors tua ò mors morſus tuus ero inferne.* Et 1. ad Corint. 15. ver. 55. *Vbi eſt mors victoria tua, vbi eſt mors ſtimulus tuus?*

Subiungitur poſtea pacifica & ſtabilis Iudæ habitatio in terra promiſſionis *requieſcens accubuiſti vt leo, & quaſi leæna, quis ſuſcitabit eum?* & ſenſus verborum eſt, requieſces intrepidus & quietus vt Leo, quẽ nemo audet irritare, aut ad bellum prouocare, multominus leænam natura ferociorem: & hunc eundem ſenſum expreſſit Paraphraſtes Caldęus, *Requieſcet, & habitabit in fortitudine quaſi Leo, & quaſi leæna, neque erit regnum quod commouebit eum.* in Hebræo כָּרַע רָבַץ כְּאַרְיֵה וּכְלָבִיא מִי יְקִימֶנּוּ carah rauats cearzie oublabi mi iecimenu. Incuruabit ſe, cubabit ſicut Leo maior quis ſuſcitabit eũ? Quaſi dicat, accubuit ferarum more, ſicut ſolet leo, & vt iacet leo ſenior animoſus, generoſus, fortis, id enim præſefert dictio Hebraica לָבִיא Labi Septuaginta interpretes. *Recumbens accubuiſti vt leo, & quaſi catulus leonis,* ſic enim in ſecunda perſona legũt. Theodoretus exiſtimat reſpicere Patriarcham Iacob myſterium de Chriſto, vocans Iudam, & ſub eius nomine Chriſtũ leonẽ, & catulũ leonis, regẽ ſcilicet, & regis filiũ, Deũ & Dei filiũ. Nã Chriſtus Dñs ſecundum humanitatem ex Dauide Rege tanquã Rex & Regis filius ortus eſt: Deus tamen & Dei filius ante ſęcula è Deo Patre genitus eſt.

TEX.

TEXTVS.

Non auferetur ſceptrum de Iuda, & Dux de femore eius, donec veniat qui mittendus eſt, & ipſe erit expectatio gentium.

HIC continetur locupletiſſimum vaticinium de Chriſti aduentu; quē locum ſic vertunt interpretes Septuaginta. *Non deficiet princeps ex Iuda, & dux de femoribus ſuis, donec veniant quæ repoſita ſunt ei, & ipſe eſt expectatio gentium* in Hebræo. *Non recedet virga de Iuda, & legiſlator de interpedes eius vſque quo veniat Siloh, & ei obedientia populorum.* **Locupletiſſimum vaticiniū de Chriſti domini aduentu.**

RELICTIS aliorum hac de re interpretationibus non ab re erit locum hunc alioqui difficilem propter Iudæorum perfidiam & ignauiā explicare, qui vel in pœnam ſuæ perfidiæ cœcutiunt, vel certiſſimo oraculo conuicti multa cōmentitia fingunt, vt hoc de Chriſti aduentu vaticinium in longiora ſæcula prolongetur. Et primo veritatē huius oraculi ex fontibus Hebręis oſtendemus, vt illorum perfidia magis detegatur, & Catholicorum ſententiæ cōmodius poſſint expendi, quod certē grauiſſimum eſt in tanta diſputatione. Et vnum loco fundamēti iacē-

dum, prius Patriarcham Iacob de principatu & regia dignitate tribus Iudæ vaticinatum fuiſſe; nunc quamdiu ibidem permanſurus ſit prænunciat, nimirum vſque ad tépus quo meſſias cunctis gentibus deſideratus in mundum venerit, vt hinc intelligamus ſignum certiſſimũ, & indicium eius aduentus. Circa cuius vaticinij explicationem multa cadunt enucleanda.

QVAESTIO PRIMA.

An Prophetia hæc ſit conditionata an abſoluta.

Propheтiæ duplex genus.

D. THOMAS 2.2. quæſtio. 174. art. 1. Duplex aſſignat prophetiæ genus; vnum quod dicitur prophetia comminationis, & non ſemper impletur, ſed per eam prænunciatur ordo cauſæ ad effectus, qui aliquando alijs ſuperuenientibus cauſis impeditur: Alterum abſolutũ, quod dicitur prædeſtinationis, quãdo Deus aliqua præcognoſcit, vt ab ipſo facienda. Oritur ergo hoc loco quæſtio, ſit ne hoc Iacob vaticinium conditionatum, an abſolutum? Theophanes in ſymphonia veteris & noui teſtamenti contra Iudæos, quem refert Tutianus in defenſione locorum ſcripturæ de Eccleſia catholica, & eius Paſtore Pontifice Romano lib. 2. contra Zadielem lutheranum cap. 3. ſentit hanc propheтiam Iacob eſſe conditionatam.

Prophetia cõminationis.

Prophetia prædeſtinationis.

Prima ſẽtentia.

Nam

Nam poſt hoc vaticinium facta fuit promiſſio Dauidi, qui erat de eius ſemine Pſal. 88. *Semel iuraui in ſancto meo, ſi Dauid mentiar* (id eſt, non mentiar) *ſemen eius in æternum manebit.* Et Pſalm. 131. verſi. 11. *Iurauit Dominus veritatem, & non fruſtrabitur eum, de fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam, ſi cuſtodierint filij tui teſtimentum meum, & teſtimonia hæc quæ docebo eos, & filij eorum vſque in ſæculum ſedebunt ſuper ſedem tuam.* Ex quibus probat Theophanes contra Iudæos promiſiſſe Deum regnum Dauidi hac lege, ſi ſeruent filij eius teſtamentum Dei, & teſtimonia eius, quæ quia plerique eorum aſpernati ſunt, & contempſerunt, idcirco principatu & regno per Babilonios priuati fuerunt. Dauid igitur vt, inquit, Turianus, interpretatus eſt prophetiã Patriarchæ Iacob, non diſceſſurum ſceptrũ à tribu Iuda, ſi teſtamentum Dei ſeruarent. Quod cõfirmat Salomon filius eius 3. Reg. c. 8. ver. 25. *Conſerua famulo tuo Dauid patri meo quæ locutus es dicens ei, non auferetur de te vir coram me, qui ſedeat ſuper thronum Iſrael; ita tamen ſi cuſtodierint filii tui viam meam, & ambulent coram me, ſicut tu ambulaſti in conſpectu meo.* Hoc tamen non ſeruarunt. 2. Paralipomenon capit. 36. ver. 14. *Vniuerſi principes ſacerdotum & populus prævaricati ſunt iniquè iuxta vniuerſas abominationes gentium, & polluerunt domum, Domini, quam ſanctificauerat ſibi in Hieruſalem.* Et paulo poſt: *ductus in Babilonem ſeruiuit Regi,*

& filijs eius, donec imperaret Rex Perſarum, vt impleretur ſermo Domini ex ore Ieremiæ, vſque dum complerentur ſeptuaginta anni. Idem probat Ieremias cap. 25. Itaque propter idolorum cultum tunc diſperſi ſunt Iudæi; hodie vero non hac de cauſa, ſed quia Chriſtum negant, & Meſſiam alium tartipedem expectant. Ex qua ſententia conſtat vaticinium hoc eſſe conditionatum, ſaltem quo ad priorem partem, quæ ſtatuit regnum permanſurum in Iuda, ſi eius poſteritas mandata Dei ſeruaret, quod interruptum eſt cum illa non cuſtodierit.

Iudæi cur olim diſperſi & quanto tẽpore.

HANC ſententiam etiam tenent quidam ex Hebræis, quos refert Ioannes Figueroa tomo ſecundo cap. 4. in tertia Iudæorum euaſione. Qui inquiunt, *ex eo quod non ſeruauimus præcepta Domini, ſicut dixit Daniel cap. 9. ideo pactum nobis promiſſum perdidimus, nimirum non receſſuram virgam, ſiue dignitatem regiam de Iuda, donec veniſſet Meſſias.*

Reijcitur de ſententia.

HAEC tamen ſententia falſa eſt primo. Quia Iacob non loquitur per modum conditionis: ſecundo quod hæc promiſſio ſit conditionata, non conſonat cum præcedentibus *Requieſcens accubuiſti, & ad prædam aſcendiſti* quæ in præterito locutus eſt Iacob propter certitudinem prophetiæ. Tertio. Quia ſubiunxit *Quis ſuſcitabit eum?* Ac ſi diceret, nullus, quod non dixiſſet, ſi promiſſio eſſet conditionata. Quarto, quia Paraphraſtes Caldæus, quem in omnibus ſequũtur Iudæi dixit. *Non præteribit actus poteſtatis de*

domo

domo Iuda, & de filijs filiorum eius vſque in ſæculum, vel in æternum, donec veniat Meſſias, לְעוֹלָם leolam, ſiue עוֹלָם olam aliquãdo ſignificare ęternitatẽ, perpetuitatẽ, vt Gen. c. 9. ver. 12 זֹאת אוֹת הַבְּרִית אֲשֶׁר אֲנִי נֹתֵן בֵּינִי וּבֵינֵיכֶם וּבֵין כָּל־נֶפֶשׁ חַיָּה אֲשֶׁר אִתְּכֶם לְדוֹרוֹת עוֹלָם zoth oth habberith aſcher ani nothen beni vbenechem vben col nepheſch haia aſcher itechem ledorot olam. *Hoc eſt ſignum fœderis quod do inter me & vos, & ad omnem animam viuentem, quæ uobiſcum in generationes ſempiternas*. Aliquando ſignificat tempus longum, quod tamen finem eſt habiturum. Ieremię cap. 2. ver. 20. כִּי מֵעוֹלָם שָׁבַרְתִּי עֻלֵּךְ ci meolam ſcauarti olech. *Quia à ſæcul oconfregit iugum tuum*. Aliquando tempus vſque ad iubileum, vt Deuteron. 15. verſic. 17. וְהָיָה לְךָ עֶבֶד עוֹלָם vehaia lecha cued holam, *& erit tibi ſeruus in ſæculum*, id eſt, vſq; ad annum iubilei. Hæc fortaſſe cauſa fuit erroris Origenis exiſtimandi poſt aliquot ſæcula à pœnis liberari animas damnatorum, & ipſos etiã dæmones, quod ſcilicet ignorauerit varias acceptiones huius vocis עוֹלָם olam.

GENEBRARDVS in commentarijs ad pſalm. 131. cum D. Auguſtino ſentit promiſſionem illius loci fuiſſe conditionatam reſpectu filiorum Dauidis ſecundum carnem; abſolutam tamen reſpectu Chriſti, eiuſque prolis ſpiritualis. Vnde Pſal. 88. ſine conditione fit promiſſio, *ſi dereliquerint filij eius legem meam, viſitabo*

in virga iniquitates eorum, miſericordiam autem meam non diſpergam, ab eo, neque nocebo in veritate mea. Quare cum ille locus exponatur abſolutè de Chriſto, eodem modo exponi debet & hoc vaticinium Iacob, conditionatè verò reſpectu poſteritatis Dauid ſecundum carnem.

QVAMVIS vtraque hęc ſentētia, quatenus reſpicit promiſſionem factā de Regno Dauidi, & ſemini eius, vera fuerit, apertiſſimè enim probant loca ſcripturæ propoſita à Turiano talem promiſſionem fuiſſe conditionatam; non tamē idem cenſendum de hac prophetia Iacob, ſed abſolutam omnino fuiſſe, quamuis ſupponat conditionem de regno permanſuro in Iuda, ſi eius poſteri Dei præcepta obſeruent; ac ſi diceret Deus, Regnum in Iuda permanſurum, ſi poſteri mandata mea cuſtodiant: at verò quia certò noui illos non obſeruaturos, ſtatuo non auferēdum eſſe principatum de Iuda, quouſque veniat Meſſias. Et hac ratione prophetia hæc videtur ſupponere futurum poſteros Iudæ non obſeruaturos mandata diuina; quo poſito abſolutè & ſimpliciter profert auferendum eſſe aliquando ſceptrum, non tamen hoc prius fore ad implendum quam Meſſias in mundum veniet.

Hoc itaq; conſtituto prophetiam hāc eſſe abſolutam ſimpliciter, relinquitur probandum principatum nunquam defeciſſe de domo Iuda vſque ad aduentum Chriſti, quod clarū fiet ex ſequentibus.

QVAE-

QVESTIO SECVNDA.

Quid nomine ſceptri intelligatur.

NON mediocris controuerſia exiſtit de ſceptro, quod dixit Iacob *non auferendum eſſe de Iuda, vſque quo veniet, qui mittendus eſt,* ſit ne ſceptrum, vel potius virga tribulationis, & oppreſſionis tyrannicæ; ac ſi vaticinetur Iacob; non auferendam eſſe vexationem, tribulationem, & tyrannidem, quouſque veniat qui mittendus eſt.

Prima ſẽtentia hebręorum nomine ſceptri intelligi tribulationem.

QVIDAM Hæbræorum in hac ſunt ſententia; quæ confirmari videtur ex ſacra pagina, nomen enim Hebraicum שֵׁבֶט ſchebeth virgam ſupplicij, & tribulationis denotat, Pſalmo ſecundo תְרוֹעֵם בְשֵׁבֶט בַרְזֶל כִּכְלִי יוֹצֵר תְנַפְּצֵם teroem beſcheuet barzel cichli iotſer tenapetſem, id eſt *Reges eos in virga ferrea, & tanquam vas figuli confringes eos.* Eſt enim ſceptrum, ſeu virga ferrea ſupplicium audaciæ Regum qui Chriſto ſe opponũt. Et Pſal. 22. שִׁבְטְךָ וּמִשְׁעַנְתֶּךָ ſcibtecha oumiſch gnantecha. *Virga tua & baculus tuus,* id eſt, caſtigatio & diſciplina, qua errantes corripiuuntur, & viam rectam cognoſcunt, *ipſa me conſolata ſunt.*

Reijcitur hæc ſentẽtia.

SED hæc ſententia eſt omnino falſa: Primo. Quia Iacob filio ſuo oĩa fauſta & felicia precatur

catur, quod non tantum ex antecedentibus, ſed etiam ex ſubſequentibus oſtenditur: Secundo. Si in virga de qua loquitur Iacob, denotetur oppreſſio, non rectè coniuncta eſt virga cum Duce non receſſuro de inter pedes eius, cum dicitur. *Non recedet virga de Iuda neque dux de femore eius.* Hæc enim additio planè denotat agi de virga principatus & imperij. Tertio. Falſum eſt, non receſſiſſe virgam oppreſſionis poſt vaticinium Iacob à tribu Iuda, cum proſpera, & felicia huic tribui euenerint, tanta enim ſuſcepit incrementa, vt ſceptrum regium teneret in alias omnes tribus tempore Dauidis & Salomonis. Deinde diuiſo regno retinuit etiam ſceptrum ferè trecentis quinquaginta annis vſque ad deſolationem templi, quæ fuit tempore Sedechiæ vltimi Regis Iudæ.

Secũda ſẽtentia Hebræorum ſceptrum eſſe tribũ & familiam.

SECVNDA ſententia eſt quorundam Hebræorum aſſerentium nomine virgæ & ſceptri intelligi tribum & familiam. dictio enim שֵׁבֶט ſcheuet in ſcripturis hanc habet ſignificationẽ, vt ſit ſenſus oraculi. Non auferetur tribus Iuda, aut eius familia, quouſque veniat Meſſias. Quod autem hæc dictio Hebræa tribum & familiam denotet certiſſimũ eſt vt patet Pſal. 77.

וּבְשֵׁבֶט אֶפְרַיִם לֹא בָחָר וַיִּבְחַר אֶת־ שֵׁבֶט יְהוּדָה׃

Oubſcheuet Ephraim lo nahar vaibbar e.h ſcheuet Iehuda. *Et tribum Ephraim non elegit, ſed elegit tribum Iuda:* quo loco ponitur vox ſcheuet.

Reijcitur

SED hac ſententia eſt ridicula, ſtultum enim

eſſet

eſſet affirmare tribum Iudæ nõ defuturam vſq; ad Meſſiam, cum omnes reliquæ tribus etiam permanſerint vſque ad id tempus, ex quo fieret, vt nihil Iacob eximij de tribu Iuda prædixiſſet in hac prophetia.

TERTIA ſententia eſt Hebræorum aliorũ qui vim & efficaciam huius prophetiæ videntes, rem publicam quandam ſibi imaginati ſunt in montibus, & vrbibus Hala & Habor iuxta fluuium Goſan. in ciuitatibus Medorum vide 4. Regum cap. 19. & 18. & 1. Paralip. cap. 5. confingunt, inquam rempublicam, non eam quæ aliquando fuit, ſed quam viſi ſunt proponere Chriſtianis, vt hoc modo velut è manibus excutiant certiſſimum hoc vaticinium: In qua Reipub. dicunt reges de tribu Iuda principatum habere ampliſſimum, & vt decipiant Iudæos per orbem terrarum diſperſos ſtatuunt intra continentem, & prælaltos montes quendam fluuiũ quem Sabbaticum nominant, qui non poteſt pertrãſiri niſi die Sabbati, ibi ſunt duæ arbores admirandæ magnitudinis, vna in montibus illis excelſis; altera in terra oppoſita, quæ inuicẽ complexæ, ad locum illum ſacratiſſimum præbent ingreſſum. Et quoniam Iudæi licitè non poſſunt in Sabbato iter facere, nullus inuentus eſt ad hoc vſque tẽpus qui huius ſceptri & Rei publicæ decretum vel abrogauerit, vel ei fidem non adhibuerit. Eſt autem fluuius Sabbaticus ex ſententia Rabi Moiſis idem atque fluuius Goſam, de quo locis citatis ſcriptura. Ortellius in

Tertia ſẽtẽtia Hebræorũ.

Reſpublica imaginaria hebræorum.

Sabbaticus fluuius Iudæorum.

in theſauro geographico Sabbaticũ fluuiũ deſcri bit circa fines Aethiopiæ ex libro Holdath Danai ſcriptoris Hebræi, quẽ inſcripſit de Iudæis clauſis ante annos ferè trecẽtos, qui fluuius, ſine aqua deſcribitur lapidibus magnis currentibus, & arena cõſtãs. Hũc exiſtimo fluuiũ Sabbaticum à Iudæis cõfictũ, ex ipſorũ autẽ inconſtãtia factũ eſſe, vt à quibuſdã in Aethiopia deſcribatur, ab alijs apud regiones Medorũ. Talia figmẽta Iudæi ſomniarunt, occaſionẽ tamen videntur arripuiſſe, quoniam decem tribus ductæ sũt in captiuitatem à Salmanazare & poſitæ in Hala, & in Habor iuxta fluuium Goſan in Ciuitatibus Medorum; hos Iudæos clauſos Hebræi nominant. Huc accedit, quod lib. 4. Eſdræ cap. 13. ſic legitur de decem tribubus, *Salmanazar rex Aſſyriorum tranſtulit eos trans flumen in terram aliam in vlteriorem regionem, vbi nunquam inhabitauit genus humanum per introitus anguſtos fluminis Euphratem introierunt, fecit enim eis tunc altiſſimus ſigna, & ſtatuit venas fluminis vſque quo tranſirent, per eam enim regionem erat via multa itineris anni unius & dimidij. Regio illa vocatur Arſareth. Tum inhabitauerunt ibi vſque in nouiſſimo tempore, & nunc iterum cũ cœperint venire, altiſſimus ſtatuet venas fluminis, vt poſſint tranſire.* Hæc ibi. Ioſephus lib. 7. belli Iudaici. cap. 24. refert Titum Imperatorem conſpexiſſe in itinere fluuium cognitione digniſſimum inter Arceas, & Raphaneas, Agrippæ regni ciuitates rapidiſſimum & velo-

velociſſimum ſeptimo quolibet die deficere & exſiccari. Et hac de cauſa Sabbaticum à ſacro Iudæorum ſeptimo die denominatum. Plinius lib. 31. hiſtoriæ naturalis cap. 2. eiuſdem fluuij meminit, cum ait, *in Iudæa riuus ſabbatis omnibus ſiccatur*: quo loco vel plane deceptus eſt Plinius Iudęam appellans eam quæ in Paleſtina eſt: vel certè intellexit eam regionem apud Medos in quam Iudæi translati ſunt. Andreas Tebetius in ſua geographia Iudæos clauſos circulo arctico includit vltra mare glaciale vndique montibus circũſcriptos. Quidam iſtos Iudæos ſtatuũt ad mare Caſpium. Apud Iudæos horum frequens mentio. Aben eſdra in commẽtarijs ad cap. 8. cantici canticorum, ſcribit, *reliquam eſſe adhuc ſororem vltra flumina Aethiopiæ*. Salomon Iarrius ad cap. 27. Eſaiæ, profitetur vẽturos eos qui perierãt in terra Aſſur, quia inde diſperſi ſunt intra fluuium Sabbaticum. Hol dad Danai quoſdam ſtatuit iuxta Mediam & Perſidem verſus Indiam, quoſdam verò in Aethiopia. Neque deſunt qui ſceptrum ſtatuunt in Babilonia, vt refert Porchetus prima parte victoriæ contra Iudæos. cap. 2. Elias Leuites in Thisbi conſtituit fluuium in Media, aut Meſopotamia, eũq; eſſe quẽ ſcriptura vocat Goſan. ad quẽ Salmanaſar rex Aſſiriorum Iſraelitas trãſtulit: ipſe ẽt Elias ſententiam Ioſephi profert, & ſubiungit decem tribus ibi detentas non poſſe exire, ne diei Sabbati religio violetur.

SED hoc Iudæorum figmẽtum varijs modis refelli

Refeilitur hoc Iudæorum figmentũ de hebræis clauſis

refelli poteſt. Primo. licet Iudæi dominium & ſceptrum haberent in Media, Aethiopia, Babilonia, vel vbicunque illud confingunt cum flumine lapideo, & Sabbatico, & quod in terra Iſrael nullum ipſis maneat ſceptrum, ſed translatum ſit ad loca incognita earum regionum, nihil tamen poteſt hoc ipſis ſuffragari, nec proinde rectè inferrent, adhuc non veniſſe Meſſiam, quia Iacob dixit, *non auferetur virga de Iuda*, donec veniat qui mittendus, ſed ſceptrum illud & virga regni, quam illi fingunt, non eſt ſceptrum Iuda, ſed decem tribuum quæ defecerunt à Roboam 3. Reg. cap. 12. vnde mentiuntur ſtatuentes in his ſceptrum Iudæ: nam captiuitas tribus Iudæ poſterior eſt captiuitate decem tribuum, & in Babilonem ducta eſt, non ad Medos.

Secundo.

Secundo etiam refutatur hæc ſententia, quia ridiculum eſt, egregios Hebræorum Kabaliſtas, & interpretes rerum diuinarum tam multa diſputare de abſconditis miſterijs, & tam turpiter ignorare terræ dimenſiones nauigationibus, & Coſmographorum libris omnibus notas, & in his mentiri quæ ſunt oculis omnium ſubiecta, vt ſunt regiones Mediæ, Perſiæ, Babiloniæ, & Aethiopiæ; in quibus neque à Iudæis in hanc vſque diem tale ſceptrũ, neque à Catholicis aut alijs gentibus adinuentum. Præterea adeo ſunt varij Iudæi in deſignanda hac regione, & in deſcribendo fluuio Sabbatico, vt nihil illis inconſtantius; nam quicquid ſit de religione, & obſeruatione ſabbati ne iter faciant, ſaltem his qui

non

non ſunt Iudæi ea regio debet eſſe nota, maximè cum ſit in tractu terræ habitabilis. Quid quod Iudæi obſeruantes religionem ſabbati potuerũt fluuium tranſire? Licebat enim ijs ad mille paſſus iter facere, vt docet Origenes; vel vt alii exiſtimant ad bis mille paſſus, Act. 5. Bethphage diſtabat à Hieruſalem itinere ſabbati, id eſt quantum ſalua religione Iudæis tunc concedebatur ambulare.

Iter Iudæorũ die ſabbati.

Tertio refutatur, quia decem tribus Iſrael nõ ſunt hodie Iudæi, ſed potius gentiles, aut idololatræ, educti enim à Paleſtina in captiuitatem non obſeruarunt legem Moſaicam, ſed tantum ex parte colentes ſimul idola. Vnde potius illud ſceptrum gentilium erit quàm Iudæorum.

Tertio.

NOTA cum Genebrardo lib. 5. Chronographiæ anno mundi 3443. ex his decem tribubus ortos eſſe Tartaros, qui inhabitant partem Septentrionalem ad Orientem, quorum imperiũ adiacet Perſiæ, terminatur enim ab aſſyria, & Media, qui populus diu latuit. Primò enim auditum huius nomen eſt anno 1200. à Chriſto. Præterea nomen Tartari (nam ſine additione literæ R proferendum eſt) in lingua Hebræa, & Cyriaca ſignificat derelictum, cuſtoditũ in carcere detentum. Adhæc, hic populus ſemper circuncisionem coluit, antequam quicquam acce-piſſent mahometiſmi. Turcæ etiam fatẽtur Tartaros ob ſacrilegium & impietatem, tanquam in pœnam peccati à Deo derelictos. Probabile etiam eſt partem decem tribuum eſſe Indos occiden-

Tartarorũ origo ab Iſraelitis.

cidentales, vt primus omnium eruditè obſeruauit Genebrardus, quia in Inſulis Sancti Michaelis, quæ pertinent ad illam orbes partem, reperta ſunt ſepulchra ſubterranea cum literis Hebraicis antiquiſſimis, vt tradit Andreas Tebetius lib. 23. Coſmographię cap. 7. & veriſimile eſt ex loco citato Eſdrę lib. 4. cap. 13. cum pertrãſiſſent decem tribus Euphratem in deſerta Tartarię veniſſe, & inde in terram illam ignotam; ſiquidem America cum ex alijs partibus ſit mari clauſa, cum illa tamen contigua eſt. Incolę etiam Americę habitant catenatim in tentorijs Tartarorum more non habentes ciuitates.

America Inſula ne an peninſula dubitatur.

Denique Iudęi clauſi appellantur ex antiquã traditione, Americi, etiam vndique clauſi mari. Eſt enim America magna inſula, vel peninſula, quia adhuc dubitatur an à partibus Septentrionalibus ſit iuncta Tartarię magnę, vel ab ea tantum ſeparata freto.

Reſpõdetur ad ea quæ propoſita fuerũt in cõfirmationẽ ſententiæ hebręorũ.

Ad ea autem quę fuerunt propoſita ad defenſionem huius ſentẽtię. Reſpondeo primo locũ illum intelligi de Tartaris, & populis Americę. Et ad Ioſephum & Plinium dico, vel ipſos ab aliquo fuiſſe deceptos, vel ſi fluuius talis fuit, quem conſpexerit Titus Imperator ſimilem fuiſſe illis fontibus, quos refert Plinius loco citato ſingulis duodenis diebus ſiccari, aliquando vigeſies, & alteri fonti qui ſeptenis diebus fluebat. Reliqua autem quę ab Hebręis producuntur fabulę, & deliramenta exiſtimandę ſunt.

QVAR-

QVARTA opinio eſt multorũ Hebræorum, & nonnullorum Catholicorum, vt Galatini lib. 4. de arcanis catholicæ fidei cap. 5. & 6. & Porcheti prima parte victorię contra Iudæos cap. 2. & Rabi Moiſis cognomento Cohelet, ſiue concionator ſuper cap. 47. Gen. & aliorum aſſerentium, virgam quæ non erat receſſura de Iuda, eſſe poteſtatem Zanedrim, ſiue patrum & ſeniorum conſilium, ac collegium iudicum ordinariorum: & probatur primo ex ſcriptura pſal. 77. *Et repulit tabernaculũ Ioſeph, & tribũ Ephraim non elegit, ſed elegit tribum Iuda montem Sion, quem dilexit*, id eſt, montem ſignatum in legę; vt exponit Rabbi Moiſes loco citato. Et Pſal. 86. *Diligit Dominus portas Sion ſuper omnia tabernacula Iacob*, ideſt portas ſignatas in ſententijs, vt idem exponit.

Quarta ſententia Hebræorum: virgã ſine ſceptrum, eſſe poteſtatem Sanedrim & patrum ac ſeniorũ & Iudicum collegiũ.

Sanedrim & ſeniorũ collegiũ inter Iudæos probatur ex ſcript.

Secundo ex Talmud ſectione quæ incipit *Extrahite thuribulum*, vbi ſcriptum eſt, *Et ſacerdos magnus in die expiationis faciebat orationem breuem in hunc modum. Ne recedat actus domini & poteſtatis de domo Iuda.* Et in libro Zanedrim Hieroſolymitano hęc verba habentur. *Poſtquam Zanedrim migrarunt, & ab eis ablata fuiſſent iudicia animarum, conſuerunt ſeniores & patres ſuper pellem ſuam cilicium, depilauerunt caluitium plorantes, & dicentes: Væ nobis, quia receſſit ſceptrum & virga de Iuda, & nondum venit filius* David, id eſt Meſſias.

Probatur ex Talmud.

NOTA ex Talmud in libro Zanedrim, cap. quod incipit, iudicia diuitiarum, ad intelligentiam

tiam huius ſententiæ tria fuiſſe diuerſa collegia ſeniorum,& Iudicum inter Iudęos. Primum, trium Iudicum in quo fiebant iudicia diuitiarum,id eſt,iudicia ciuilia,& hoc vocabatur collegium minus. Secundum erat collegium viginti trium,in quo fiebant iudicia perſonarum vel animarum,id eſt iudicia criminalia,& dicebatur collegium medium, penes quod erat morti reum adiudicare. Tertium erat collegium maius Septuaginta virorum, & ab hoc inferiorū authoritas pendebat, & iudicium tam in ſpiritualibus, quàm in tēporalibus habebat,de lege de propheta,& de regibus iudicabat. Erant autem ſeptuaginta omnes de domo Dauid,de quibus ſic loquitur Talmud loco citato. *Domus iudicij ſeptuaginta,iudicabat tribum,ſceptrum,pſeudoprophetam,& ſacerdotem magnum*; non poterãt inire bellum Iudæi niſi ex conſilio collegij maioris, neque ordinarij Iudices conuocari poterant,niſi annuentibus ſeptuaginta. Huius collegij origo à Deo per Moyſen inſtituta fuit numer.cap. 11.ver. 16. quãdo præcepit Deus Moyſi congregare ſeptuaginta ſeniores in populi doctores & magiſtros, qui dicebantur Zanedrim vocabulo Syrocaldaico, quod inde Græci mutuati ſunt; nam iſti συνέδριον vocant curiam,conceſſum, collegium,iudicium;& συνέδρους cōceſſores,aſſeſſores,in eadem ſede manentes, conſiliarios & ſenatores. Et Hebræorū Rabbini vocãt Zanedrim iudices ordinarios, qui olim in portis ciuitatum diſcernebant iudicia, ſciebãt enim

Tria colle gia iudicū inter Iudæos.

Zanedrim erãt de domo Dauid.

Origo collegij zanedrin.

Etymologia nominis.

memoriter omnes quinque libros Moyſis, & alia ad iudicandum ſtatuta. De quibus Elias Leuites in Thisbi ſic ſcribit: *Septuaginta Zanedrim erant ſeptuaginta ſeniores conſiſtorij & prætorij magni, quod erat Hieroſolimis.* Vnde vbi textus Hebraicus habet Exod. 15. וְשִׁבְעִים תְּמָרִים veſchibim temarim, ideſt, & *ſeptuaginta palmæ.* Paraphraſtes Caldęus habet *Septuaginta Zanedrim.* Et Pſalmo 107. verſi. 32. *Et exaltent eum in Eccleſia populi, & in cathedra ſeniorum laudent eum,* vertit Zanedrim, id eſt, ſedes ſapientũ laudent eum. Et Ruth cap. 4. vbi in vulgato eſt. *Et aſcendit Booz ad portam:* Transfert Caldæus ad portam conſiſtorij Zanedrim. Et Pſal. 122. verſi. 5. *Ibi ſedebant ſedes in iudicio,* id eſt, Zanedrim ad iudicandum. Huius collegij mentio fit ſecundum quoſdam ſæpius in veteri & nouo teſtamento, vt 1. Paralip. cap. 15. verſi. 6. vſque ad 12. & cap. 14. verſi. 6. qui eo loco dicuntur principes familiarum; & hebraicè רָאשֵׁי הָאָבוֹת raſche haaboth. & Matt. 2. verſ. 4. vbi dicitur Herodes congregaſſe principes ſacerdotum, quos Maldonatus ſuper hunc locum aſſerit fuiſſe ex numero Zanedrim, ſed male quia ſeptuaginta erant de domo Dauid, non de domo leui, quales ſunt quos hic ſcriptura memorat. Quare melius ipſe Ioan. 3. verſi. 5. principes dicit fuiſſe capita familiarum, qui erant omnium honoratiſſimi, ſicut principes ſacerdotum dicebantur, qui ſacerdotalium familiarum capita erant. Ex eodem collegio exiſtimat Cardinalis Baronius

Sciẽtia Sanedrim.

Maldonati ſententia reijcitur aſſerẽs principes ſacerdotũ fuiſſe de numero Sanedrim.

tom. 1. annalium anno Chriſti 31. nu. 71. fuiſſe ſacerdotes & leuitas miſſos à Iudæis ad Ioannem Baptiſtam, vt interrogarent an ipſe eſſet Chriſtus, & fuiſſe miſſos ab ipſis, quia illorum munus erat prophetas cognoſcere. Erudite etiã Genebrardus in Pſal. 106. verſic. 32. exiſtimatq; hos Zanedrim eſſe quos D. Matth. cap. 26. alibi vocat græce πρεσβυτέρους, id eſt ſeniores, & iunguntur cum Pontificibus, & ſcribis. Diſplicet tamen quod idem Baronius ibidem dicit. Principes ſacerdotum dictos eſſe Annã & Caipham, illum quia collegij Zanedrim princeps erat hunc quia ſummus ſacerdos: conſtanter ſiquidem Hebræi tradunt Zanedrim fuiſſe de familia Iudę, nõ de familia Leui. Quare probabilius eſt principes ſacerdotũ dictos fuiſſe, vel quia erãt principes familiarũ ſacerdotalium, vt loco citato Paralip. traditur, vel fuiſſe principes ſacerdotum qui erant principes conſilij ſacerdotum. Nam ſacerdotes, & leuitæ iudicabant ſicut dicitur Deuteron. 16. ver. 8 neq; tantũ iudicabãt de negotijs eccleſiaſticis, ſed ẽt ſæcularibus, & polyticis. Atq; de hoc conſilio quidam interpretãtur Pſal. 122. *Quia illic ſederunt ſedes in iudicio.* Diſplicet ẽt quod idẽ Baronius affirmat ibidẽ collegiũ Zanedrim fuiſſe ſeptuaginta duorũ virorũ: nã præter ſeptuaginta ſeniores, quos iuſſit Deus à Moyſe aſſumi, addit alios duos, nẽpe Eldad, & Medad ſpiritu Dei prophetico afflatos, vt ſicut hi duo tũc additi ſunt ſeptuaginta ſenioribus, ſic futuris tẽporibus ſemper numerus ſeptuaginta duorũ perſeuerauerit, ſed ſcriptura non numerat

Baronij ſẽtẽtia reijcitur.

Baronij ſẽtentia ſecũdo reijcitur tenẽs collegium Sanedrim fuiſſe ſeptuaginta duorũ virorum.

rat

rat hos duos præter ſeptuaginta; neq; Hebræi, quibus fides in his traditionibus adhibēda eſt, vnquā ſeptuaginta duos, ſed ſeptuaginta tantū numerarunt,& vnū illorū Moyſis ſucceſſorem: neq; aliud colligitur ex cap.11.num. Porro cōſiſtoriū in quo ſedebant Hieroſolymis ſeptuaginta ſitum erat in inferiori vrbe, & cōiunctū antiquo ciuitatis muro,dolatū & politum lapidibus quadratis et angularibus dicebatur גזית Gazith, vbi ſedebant Zanedrim à mane vſq; ad veſperā. Qm̄ aūt in hoc cōſiſtorio dolato erat poteſtas iudicādi animas,eaq; penes Zanedrim veluti virga in manu Regis,inde factū eſt vt authores citati exiſtimauerint, virgā quæ nō erat receſſura de Iuda eſſe poteſtatē hanc.Quod enim ante captiuitatem,in captiuitate,& poſt captiuitatē durauerit, hoc collegiū ſuo loco probandū relinquitur ex antiquiſſima Hebræorum traditione. Plura de Zanedrim tradūt Galatinus lib.4.de ſarcanis Catholicę fidei. Porcetus 1.parte victoriæ cōtra Iudęos c.2.Paulus Burg.hoc loco,Annius Viterbienſis in breuiario temporum Philonis, Carolus Sigonius lib.7.de Repub.Iudæorū.c.6. *Conſiſtorium zanedrim vbi ſitum.*

HANC ſentētiā Pererius reijcit exiſtimās plura in ea caſtigatione digna.Primum Quia deberent hi Authores oſtendere ex ſcriptura, vel probatis hiſtorijs talem fuiſſe in populo Hebræo Senatum,& permanſiſſe vſque ad Herodē Idumæum,cum tamen apud Ioſephum diligentiſſimum Iudaicarum rerū ſcriptorem iſtius ſenatus parua,aut nulla mentio fiat, nec Philo Iudæus *Reijcit hāc ſentē tiā Pererius.*

de illo quicquam tradiderit. Nam breuiarium temporum, quod Philonis nomine circumfertur, non eſt ipſius ſed Annij Viterbienſis, aut alterius cuiuſque qui illud opus nomine Philonis edidit. Secundo etiamſi daremus talem ſenatum aliquando fuiſſe in populo Hebræo, nõ eſt tamen concedendum illum Senatum fuiſſe totum ex hominibus de tribu Iuda; nam magis credibile eſt non ex vna tribu Iuda, ſed ex omnibus fuiſſe conflatum, vt omnibus ſatis fieret, decreta enim illius ſenatus libentius omnes amplecterẽtur; is enim mos apud Hebræos, vt quotieſcunque certus aliquis numerus virorum eligendus eſſet ad res ciuiles prudenter adminiſtrandas, vel ad graue aliquod negotium, & publicum bonum, viri non ex vna tribu, ſed ex omnibus eligebantur. Huius rei in ſcriptura aliquod ſunt exempla Exod. 18. Moyſes ex conſilio ſoceri ſui Iethro, conſtituit ſuper populum principes & iudices ex tota Iſrael. Num. 13. Exploratorum miſſorum à Moyſe ad conſiderandam terrã promiſſionis, ex qualibet tribu erat vnus. Narrant Ioſephus & Euſebius Cæſarienſis ſeptuaginta duos interpretes precibus Ptolomei Philadelphi regis Aegypti miſſos ab Eleaſaro ſummo Pontifice Iudæorum ex qualibet tribu ſex qui vetus teſtamentum ex Hebræo in Græcum verterunt. Denique non legitur in ſcriptura omnes Zanedrim ex vna tribu fuiſſe. Quod autem hi authores aſſerunt omnes ſeptuaginta fuiſſe de tribu Iuda potius illis obſtat. Nam

iuſſit

iuſſit Deus illos eligi de ſenibus Iſrael, non de ſenibus Iuda, vocabulo autem Iſrael antequam decem tribus ſepararētur, ſignificabatur vniuerſus populus Hebræorum. Quartò. Etſi concedamus iſtum ſenatum fuiſſe in populo Hebręo vſque ad tempora Herodis, & vniuerſum fuiſſe ex tribu Iuda, non propterea propoſita difficultas circa hanc prophetiam diſſoluitur; ſi quidē Iacob loquitur de ſceptro, & ſuprema poteſtate, atque imperio; tale autem ſceptrum & imperiū non erat in illo Senatu, ſed vel in Duce, vel in Iudice, vel in Rege, vel in Pontifice, penes quos in diuerſis temporibus fuit ſummus principatus populi Iudaici: illi autem ſeptuaginta viri erant, tanquam Conſiliarij principis, & iudicū populi, nec penes illos, ſed penes principē erat ſceptrū & imperium, vt modo in Gallia eſt parlamentum, in Hiſpania cōſilium Regium, Romæ conſilium Cardinalium, & olim apud Romanos Senatus tempore Imperatorum.

SED infirmę ſunt hæ Pererij rationes, quibus probat nō fuiſſe Zanedrim apud Hebręos. Nam cum primo poſtulet locum ſcripturæ ad id confirmandum, citant Authores huius ſententiæ num. cap. 11. probatæ verò hiſtoriæ ad huius confirmationem nullæ aliæ ſunt, niſi antiquiſſimæ Hebræorum traditiones, & Caldaicæ paraphraſes, quæ in hoc genere magni ſunt momenti. Hinc etiam ſpectat Catholicorum ſententia, tale conſilium apud Hebræos extitiſſe, illudque vſque ad Herodem permanſiſſe; gra-

Pererij rationes infirmæ quibus hāc ſententiā īprobat.

uiſſima autem eſt in hac parte Ioſephi authoritas, qui lib. 4. antiquitatũ Iudaicarum cap. 17. de Zanedrim meminit, quo pacto Samias qui vnus erat de Zanedrim prędixerit Hircano & reliquis iudicibus cędẽ ab Herode imminentem: qui quidem Zanedrim in latina verſione Sigiſmundi Gelenij iudices dicuntur, & rectè. In Gręco verò exemplari conſcripto ab eodem Ioſepho ſæpiùs proprio nomine συνεδρίου appellantur.

Ad ſecũdã rationem Pererij. AD ſecundam Pererij reſpondetur oẽs Zanedrim fuiſſe de tribu Iuda, neq; id mirũ eſſe cum perpetuo hæc prima inter oẽs fuerit, vt ex innumeris ſcripturę locis apparet, non tamẽ negãdũ eſt ex omnibus tribubus electos fuiſſe quoſdam ſeniores, & principes ſubordinatos, nã aliũde cõmodè populo nõ poterat ſatisfieri; hi ergo Zanedrim erãt ſuper oẽm Iſrael, vt fusè probat Carolus Sigonius lib. 6. de Repub. Hebręorũ ca. 4. De ſenioribus & principibus cuiuſcũq; tribus ſcriptũ eſt Deuter. 5. *Acceſſiſtis ad me omnes principes tribuũ & ſeniores.* De conſilio Zanedrim 4. Reg. 23. *Congregati ſunt ad Regem* Ioſiam *oẽs ſeniores* Iudæ *& Hieruſalem*, & 1. Reg. 30. *Dauid miſit de præda ſenioribus Iuda proximis ſuis dona.* & Ieremiæ 19. dixit Deus *Occidã conſiliũ Iudæ.* Quare idem Sigonius cap. 5. & 6. ſequentibus tradit diuerſa fuiſſe conſiliũ & iudiciũ, quæ Græcè dicuntur χρίσις & συνεδριον. Matth. 5. *Qui iraſcitur fratri ſuo reus erit iudicio*, id eſt, iudicio peculiari ciuitatis; vel vt alij volunt viginti triũ

viro-

virorum, qui de cauſis criminalibus iudicabant. *Qui autem dixerit racha, reus erit conſilio*, id eſt, ſynedrio Hieroſolymitano. Quo modo etiam exponi poteſt pſalmo 1. verſi. vltimo. *Ideo non reſurgent impij in iudicio, neque peccatorres in conſilio iuſtorum*. De explicatione huius loci Matth. vide plura apud Maldonatum ſuper hunc locū. Cæſar Baronius tom. 2. annal. anno Chriſti 32. Num. 11. tradit Herodem ſuſtuliſſe de medio Zanedrim, qui erant de tribu Iuda, & in eorum locum ſubſtituiſſe Proſelitas. Conſiliū Sanedrim quo tēpore ſublatum.

AD tertiam rationem reſpondeo, in ſynedrio ſolitas fuiſſe agi cauſas grauiſſimas, vt de tribu, lege, Rege, propheta & ſummo ſacerdote, & ideo ſummam eius conſilij fuiſſe poteſtatem. Ad tertiā rōnem Pererij.

SED an ea poteſtas vt exiſtimarunt ſuperiores Authores fuerit ſceptrum & virga Iudæ, merito adhuc dubitari poteſt; ex vna enim parte videtur hæc ſententia ſatis probabilis Primo propter ſummam & aſſiduam poteſtatem Zanedrim quæ ad Herodis tempora dicitur permanſiſſe. Secundo quia Iacob nō locutus eſt de ſingulari aliquo ſceptro in vno tantum, & ſingulari perſona per ſuas ſucceſſiones futuro. Nihilominus re accuratius perſpecta exiſtimamus veriorē eſſe ſententiā quæ ſtatuit ſceptrum in vna & ſingulari perſona de tribu Iuda. Primò, quia etſi Zanedrim potuerint de Rege iudicare, nō tamē proinde erat horū poteſtas ſuperior regia poteſtate abſolutè, & ſimpliciter loquēdo, ſed ſecū- Poteſtas Sanedrim an fuerit ſceptrum & virga Iudæ.

quid & ex parte, ſi nimirum Rex in aliquo deliquiſſet, idque in certis & determinatis cauſis. Secundo, quia Iacob dixit, non auferendum ſceptrum & Ducem, vbi videtur loqui de ſceptro ſub poteſtate vnius & ſingularis perſonæ. Tertio, quia dicunt Hebræi non potuiſſe quempiā aſſumi in conſilium Zanedrim extra terram Iſrael, vnde durante captiuitate Babilonica, plerique horum mortui ſunt, quia iam aſſumebantur ſeniores ad conſilium, nec creabantur alij loco defunctorum. Denique non fuit licitum fieri conſilium Zanedrim extra locum illum dolatum Hieroſolymis, Deuteron. 17. *Surge, & aſcēde ad locum quem elegerit Dominus Deus tuus.* Et paulopoſt. *Et facies quodcunque dixerint qui præſunt l co.* Vnde Talmudiſtæ colligunt locum illum fuiſſe neceſſarium ad iudicandum, etſi Rabbi Salomon Iarrius ſcribat requiſitum fuiſſe illum locum Hieroſolymis ad iudicia animarum, non ad cauſas ciuiles.

Quinta ſententia Hebræorum Talmudiſtarum.

QVINTA ſententia eſt Talmudiſtarum in libro Zanedrim ſectione cuius initium eſt *Iudicia diuitiarum*, Salomonis Iarrij in hunc locū. Et Rabbi Iſaac in quæſt. in eundem locum, qui exiſtimant virgam Iudæ eſſe capita captiuitatū Babiloniæ, id eſt principes familiæ Dauidicæ ibi detētos, & poſt captiuitatē reliquos populi gubernatores, quales erant Duces Machabæi, qui regebant Iſrael in שבט ſchebet, id eſt virga, & Iudæi in captiuitatem ducti, quinto, octauo, & decimonono anno Regis Nabuchodonoſor. Hi

Hi ergo cum poſteritate ſua exiſtentes in domo ſecunda, id eſt poſt reditum in terram Iſrael, quando ſecundo ædificatum eſt templum, dicũtur capita captiuitatis Babilonicę, ideſt, duces & principes regentes populum in virga. Fuerunt autem duo capita captiuitatum. Primum de tribu Iuda, ſcilicet Zorobabel cũ ſuis, Eſdræ 1. capite primo, ab his dominium penitus abſtulerunt Græci præcipuè tempore Antiochi, ſub quo omnes exterminati ſũt, vt ſcribit Ioſephus lib. 12. antiquitatem. capit. 7. Secundum caput, Matathias filius Ioannis, & pater Iudæ Machabæi, eiuſque filij, qui inſurgentes contra Græcos victoriam, & dominium obtinuerũt, vt author eſt Ioſephus loco citato cap. 8. & lib. 13. & docet ſcriptura 1. Machab. cap. 2. Hæc expoſitio in eo differt à ſuperiori, quod ante captiuitatem non ſtatuerit ſceptrum, cuius contrarium inferius demonſtrabitur, nam ſi non reſtrinxiſſet ſceptrum Iacob ad capita tantum captiuitatum vera eſſet hæc ſententia in Zorobabele enim, & eius ſucceſſoribus, deinde in Matathia, & ſocijs eius conſeruatus eſt principatus Iudæ. Neque refragatur quod obiicit Pererius lib. de benedict. Patriarcharum. Nume. 75. nullum poſterorum Zorobabelis legi habuiſſe ſummum Pontificatum, vel in ſcriptura, vel in hiſtoria Ioſephi, ſed eo tempore imperium populi fuiſſe penes pontifices qui erant de tribu Leui. Nam etſi poſt captiuitatem Babilonicam præcipua & primaria Iudæorum dignitas, & authoritas exterior fuerit

Capita captiuitatũ duo.

Reijcitur hęc ſententia.

rit penes pontifices, nunquam tamen defuerũt vſque ad Machabæorum tempora principes de domo Iuda, qui in captiuitate ſucceſſiuè principatũ inter exules Hebræos tenuerint, qui Chaldaica appellatione dicuntur ראשי גלותא raſche galuta, id eſt, principes captiuitatis. Et probatur ex ſerie & continua ſucceſſione horum principum qui poſt captiuitatem extiterunt. Zorobabel à ſoluta captiuitate rexit populum annos 58, vt tradit Philo Annij, Secundus fuit Meſala Zorobabelis filius, Tertius Ananias, Quartus Matathias, Quintus Berachìas, Sextus Aſadias, Septimus Eſaias, Octauus Aſmoneus, qui omnes vſque ad Machabæorum tempora fuerũt principes familiæ Dauidicæ, quos etiam numerant Hebræi in chronica breuiori.

Sexta ſententia Euſebii Cæſarienſis. SEXTA ſententia eſt Euſebij Cæſarienſis lib. 8. de demonſt. Euang. demonſt. 1. Hugonis de S. Victore in annotationibus in Gen. ſuper hunc locũ. & quorundam Hebræorũ, vt videre eſt apud Rabbi Iſaac, qui opinantur ſceptrũ fuiſſe excellentiam quandam, prærogatiuã & dignitatem, nõ quidem imperij, ſed honoris in tribu Iuda. Probat autem Euſebius hanc ſententiam, quia ſi hoc modo explicetur ſceptrum, rectè cõuenit vaticinium cum rei euentu, ſi autem pro imperio, & principatu, nullatenus; nam tribus Iuda primũ locum, & inſignem quẽdam honorem ſemper obtinuit inter alios omnes tribus Iſrael, non tamen ſemper imperiũ, ex quo ſequitur locũ explicandũ eſſe de honore, & dignitate tri-

tribus Iudę, nō de eius principatu et imperio in alias tribus: multis enim ſæculis principes & duces inter Iudæos extiterūt, qui tamē de tribu Iuda nō fuere. Moyſes enim primus populi dux in deſerto adminiſtrauit annis quadraginta, fuit de tribu leui, Pontifice ſummo Aarone, ſecūdus fuit Ioſue, annis 18. de tribu Ephraim, Pontifice Eleazaro, Tertius Othoniel annis quadraginta de tribu Iuda Eleazaro, & Phinee ſummis ſacerdotibus, Quartus Aiod ſiue Ehud, de tribu Beniamin, cum inter regno annorum 80, Phinee, & Abisne pontificatum adminiſtrātibus Quintus Barac de tribu Nephtalim vna cum Debora de tribu Ephraim annis 40. eodem Pontifice Abisne Sextus Gedeon de tribu Manaſſe annis 40. pontificibus Abiſne & Bocchi. Septimus Abimelech Gedeonis filius ſpurius tribus annis sūmo ſacerdoti Bocchi, Octauus Thola de tribu Iſſachar annis 23. eodē Pōtifice. Nonus Iair de tribu Manaſſe annis 22. Ozi in Aaronis cathedra. Decim⁹ Iephte ex eadē tribu ānis ſex. eodē ſacerdote, Vndecim⁹ Abesā de tribu Iuda ex Bethleē annis 7. eodē sūmo Pōtificè, Duodecimus Ahialō de tribu Zabulō annis x. Pōtificatū adminiſtrāte Zaraia aliàs Eli. XIII. Abdon de tribu Ephraim annis 8 eodē Pōtifice. XIIII. Sāſon de tribu Dan annis 20. eodē etiam Zaraia ſummo ſacerdote. Poſteà cum ſine principe eſſent præfuit illis Eli ſacerdos de tribu leui annis 40. Qui omnes vel ſaltem maior pars nō de tribu Iuda, ſed ex diuerſis. Et qui primus apud Iſraelitas

Series & ordo Iudicum Iſrael & pontificum.

regiam accepit dignitatẽ Saul Rex de tribu Beniamin ſuit, quomodo ergo dixit Iacob non auferendum eſſe principatum, & ſceptrum de Iuda, ſi ad principes & duces de domo Iuda referatur vaticinium, cum ex quo tempore mortuus eſt Iacob totis propemodum mille annis, non ex vna tribu Iuda præfecti ſint principes ſed ferè ex aliis tribubus, vſque ad tempora Dauidis. Quod ſi poſt tam multos Dauid, & alii de tribu Iuda in principes Iudaicæ gentis ſucceſſerunt, tamen ne integris quidem quingentis annis regnarunt, & ſuper tres ſolum tribus; cum eiſdem temporibus Reges Iſrael ſuper ampliorem populi partem, nouem ſcilicet tribus imperarent, vt videre licet in ſerie & ſucceſſione Regum Iudæ: nam primus poſt Salomonem fuit Roboã annis 17. Achimaa Pontifice Samaia & Iddo prophetis: Abia annis 3. Aſaria Põtifice eodemque Propheta Iddo adhuc ſuperſtite. Aſa annis 41. Abimelech ſacerdote: Ioram. Azaria filio obed; Hanani, & eius filio Iehu prophetantibus; Ioſaphat annis 35, Ioacha pontificatum administrante, Iehu Abdia, Michea, Iehiele filio Zachariæ, Eleazaro filio Dodiæ Elia, & Eliſeo prophetis. Ioram annis octo, Ioarib Pontifice, Eliſeo & Ionadab vaticinantibus. Ochozias anno vno Ioſaphat ſummo ſacerdote, Eliſeo uate. Atalia annis ſex eodem Pontifice, & Propheta, Iohas Ochoziæ minimus filius annis 40. Ioiada, & Pedaia Pontificibus, Zacharia Ioiadæ filio vate Amazias annis 29. Sedecbia Pontifice,

Series Regum Iſda, ſacerdotum & prophetarum eodẽ tempore.

tifice, Amos, Eſaia, & Iona prophetantibus. Ozias, qui & Azarias annis 52, Ioele ſummo ſacerdote. Oſea cum præcedentibus prophetis. Ioathã annis 16. Ioatham eiuſdem nominis Põtifice, iiſdem vna cum Michea & Ozia Prophetis. Achas annis 16, ſacerdote Vria, ſuperioribus, itemque Oded prophetantibus. Ezechia annis 29, Neria Pontifice, prædictis excepto Oded, vatibus. Manaſſes annis 55. Oſaia ſacerdote, Ioele, Naham, Abacuc, prophetis. Ammõ annis duobus, Sellum Pontifice, Hozai propheta; Ioſias annis 31; Helcia Pontifice maximo. Sophonia, Ieremia, Baruch, & Holdauatibus: Ioachaz menſibus tribus, eiſdem Pontificibus & vatibus. Ioachim ſiue Eliachim annis vndecim, Azaria ſummo Pontifice, Ieremia & Vria vatibus. Ioachim, qui & Ieconias menſibus tribus diebus decem, Saraia Pontifice, & Ieremia vate; hic primus in captiuitatem ductus. Iiſdem verò temporibus in Samaria ciuitate erãt principes nouem tribuum non de domo Iuda, ſed ex aliis tribubus, quorũ primus fuit Ieroboam filius Nabat de tribu Euphraim annis 22. Nadab annis duobus. Baſa de tribu Iſachar annis 25. Ela annis duobus. Amri annis duodecim. Achab annis viginti duobus. Ochoſias annis 2. Ioram annis 12. Iehu annis viginti octo. Ioachaz annis 12. Ioas annis 23. Ieroboam filius Ioas annis 41. Zacharias menſibus ſex, poſt quem fuit inter regnum octo annorum, poſt quod Sellum viginti octo diebus regnauit, Men- *Regum Iſrael ſeries.*

nahem

nahem Tirſenſis annis 10. Phaceias Menahem annis duobus, Phaceias Romeliæ annis 20. inter regnum annis nouem, Poſtremus omnium fuit Oſeę filius Ela, qui poſtquam regnaſſet nouem annis, in captiuitatẽ ductus eſt per Salmanazarem Aſſyriorum Regem. Ex his patet quo tempore Dauid, eiuſque ſucceſſores ſuper tribũ Iuda regnarunt, nunquam vniuerſo populo, ſed parti minus pręcipuæ præfuiſſe. Porro poſt reditum à captiuitate Babilonica quingentis quinquaginta tribus annis vſque ad Christi natiuitatem ſoli Optimates Rempub adminiſtrarunt, Pontificibus toti genti imperantibus, quorum nullus de tribu Iuda extitit. Nam primus fuit Ieſus filius Ioſedech, ſecundus Ioachim, tertius Eliaſib. quartus Ioada, quintus Ionathã, ſextus Iaddus, qui occurrit Alexandro Magno. Septimus Onias priſcus, Octauus Simon priſcus, Nonus Eleazarus, Decimus Manaſſes, Vndecimus Simon iuſtus, Duodecimus Onias, decimustertius Ieſus, qui aliter Iaſõ, decimus quartus Menelaus. Hi omnes præfuerunt ducentis octuaginta annis. Poſt hos Mathathias anno vno quem ſecutus eſt Iudas Machabæus eius filius annis quatuor, poſt quem Ionathan annis octodecim, Simeon annis octo, mox huius filius Ioannes Hyrcanus annis 31, Ariſtobulus anno vno, qui primus poſt captiuitatem Regẽ ſe Iudæorum appellauit, antea enim nuncupabantur ſacerdotes magni & duces. Poſt hũc Alexander Ioannes crudelis annis 27. qui mo-

A captiuitate Babylonię vſq; ad Chriſtũ ſoli optimates adminiſtrarunt rempublicam Iudæorũ.

Ariſtobolus primus rex iudęorum poſt captiuitatem.

riens regnum non filijs, ſed vxori Alexandræ reliquit,quæ præfuit nouem annis; poſt quam Hyrcanus rex & Pontifex annis 34. & hic vltimus in quo defecit princeps de tribu Iuda. Herodes enim Aſcalonita primus alienigena, ſub quo natus eſt Chriſtus regnauit annis 37. Ex patre Antipatro Aſcalonita & matre Cypride Arabica genitus,paterno genere Idumæus, materno Arabs fuit,neptem Hircani ſacerdotis magni & principis Iudæorum,qui filius fuit Alexãdræ Reginæ Iudæorum duxit in vxorem, & circuncidens ſe ob regni amorem factus eſt proſelytus: ſed non diu hæc familia viguit: Archelaus enim poſtquam regnaſſet annis decem relegatus eſt à Romanis, & prætores ab eis miſſi ſunt in præſides Iudaę ſcilicet Coponius M. Ambiuius, Annius Ruffus, Valerius Gratus, Pontius Pilatus, Vitellius, Petronius, Marſus, Cuſpius Fadus, Tyberius, Alexander Alabarcha,qui exiſtimatur frater Philonis Iudæi, Cumanus,Felix,Portius Feſtus, Albinus, Geſſius Florus, & Veſpaſianus qui poſtea adeptus eſt imperium. Ex his omnibus percipi poteſt vaticinium hoc Iacob, neque ad Iudam Patriarchã qui nunquam regnauit,neque ad eius ſucceſſores referendum eſſe, niſi dicamus tribum hanc ab initio, & à temporibus Moyſis præ cæteris tribubus in honore fuiſſe, & ita principatũ obtinuiſſe. Vnde tota regio hac de cauſa Iudæa dicta eſt. Senſus ergo Prophetiæ erit. Non deſinet toti genti præeſſe Iuda. Reddidit autem Euſebius

Præſides Romanorum in Iudæa qui.

ſebius hanc ſententiam apertiorem exemplo: Sicut enim in Romano imperio Reges, Præſides, Præfecti caſtrorum, immo & Imperatores ipſi non omnes de Romana Repub. ſed ex innumerabilibus alijs regionibus, omnes tamẽ habiti ſunt Reges, & Principes Præſides, & Imperatores Romanorum. Idem inter Hebræos ſentiendum eſt ab vna tribu Iuda totam gentem denominari, quamuis Duces & Reges ex diuerſis extiterint tribubus.

Reijcitur hæc ſententia.

Sed neque hæc ſententia nobis arridet, tametſi enim tribus Iuda primum locum & inſigniorẽ ſemper honorem obtinuerit inter alias non tamen hęc prærogatiua ſceptrum eſt, quod dicitur à Iacob non auferendum, ſed principatus imperij, qui initium habuit in Dauide primo Rege de tribu Iuda, & in eius ſucceſſoribus. Nam quod obijcit Euſebius principatum in tribu Iuda non fuiſſe annis mille à morte Iacob, & proinde in hoc ſenſu non eſſe verum vaticinium, ex eo diſſoluitur quod ſceptrum & virga Iudæ initium habuerit in Dauide, non in Iudicibus, & Rege Saule eius prædeceſſoribus, dixit enim Iacob non auferendum ſceptrum de Iuda vſque ad Chriſtum, ab eo nimirum tempore quo ſceptrum initium ſumeret.

Ad 1. rationẽ Euſebij.

Ad ſecundam rationem.

Ad ſecundam rationem reſpondeo, nouem tribus abijſſe poſt Ieroboam, tres verò ſcilicet tribum Iuda, Beniamin & Leui, vt dicitur 2. Paralip. cap. 12 & 13. permanſiſſe cum Roboam, & eius poſteris Regibus Iuda; Nam vt optimè

animaduertit Genebrardus lib. 1. Chronographiæ anno mundi 3203. Leuitæ qui antea per totam terram diſperſi erant ſeſe receperunt, ad Iudam legitimum Eccleſiæ locum. Quare regnum illud in duas fuit ſciſſum partes: Catholicam, quæ particulariter nomen Iudæ retinuit, tres capiebat tribus Iudam, Beniamin & leui; Alteram hæreticam, quæ pro regia habuit Tirſam, poſtea Samariam. Vnde Iacob non confert his verbis ſceptrum Iudæ, cum ſceptro regni Iſrael, quaſi voluerit loqui de ampliori ſceptro, quod fuit ſceptrum regni Iſrael propter nomen tribus, ſed ſimpliciter & abſolute prædixiſſe nõ auferendum ſceptrum de Iuda. Primo, quia nulla cura fuit Iacob de regno Iſrael ſiue nouẽ tribuum, quia Reges ſchiſmatici erant, & hæretici: Secundò quia naſciturus erat Meſſias de familia Regum Iuda fidelium. Tertio quia licet primus Rex Iſrael Ierobam fuerit de tribu Ephraim, incertum tamen eſt an omnes Reges poſteri de eadem tribu fuerint, & proinde regum Iſrael non poteſt eſſe certa ſucceſſio, omnes autem Dauidis ſucceſſores vſque ad Chriſtum fuerunt de tribu Iuda. Quartò, quia etſi concedamus omnes reges Iſrael fuiſſe de tribu Ephraim, familia tamen Regum nouies mutata eſt; hæreticorum enim, & tyrannorum familia non ſolet eſſe diuturna. Neque enim ſceptrũ regum Iſrael vltra quartum gradum tranſijt ad poſteros, in aliqua familia præterquam in Iehu, cuius poſteritas tenuit ſceptrum vſque ad quin-

Leuitæ receperũt ſe ad tribum Iuda in diuiſione aliarũ tribuum.

Hæreticorum & tyrannorũ familię nõ ſolet eſſe diuturnę.

tam generationem. Quinto, in regno Iſrael impio & hæretico ſunt plura inter regna, licet horum in ſacro eloquio non fiat mentio Deo ſic diſponente, vt extaret regum Iudę fidelium perpetua & certa ſucceſſio, incerta autem confuſa & perturbata ſucceſſio regum Iſrael hæreticorum.

Regni Iſraelis exitus. Sextò, Reges Iſrael deſinunt in Oſee, qui anno decimo regni ſui à Salmanazare obſeſſus & captus eſt cum populo, & translatus in Aſſyriam in vrbes Hala & Habor 4. Reg. 17. & 18. Incidit verò annus decimus regni Oſeæ regis Iſrael cũ anno ſexto Ezechiel regis Iuda, quo tẽpore euerſum eſt ſceptrum nouem tribuũ per Salmanazarem: A Rege autem Ezechia vſque ad captiuitatem Babiloniæ ſunt anni 120. & à captiuitate Babiloniæ vſq; ad Chriſtũ ex Genebrardo 553. qui omnes efficiunt annos ſexcentos ſeptuaginta tres Totidem annis ante Chriſtum natũ deſecit ſceptrum Iſrael. Propoſuerat autem Iacob ſucceſſionem ſceptri in tribu Iuda perſequi vſq; ad tempora Chriſti.

Septima ſententia Pererij. Septima ſententia eſt Pererij lib. de benedictionibus Patriarcharũ num. 92. qui exiſtimat vaticinium debere intelligi in vniuerſum de gente Iudaica, quę in duodecim tribus erat diuiſa, de tribu autem Iuda non niſi ſecundum congruam quandam applicationem ſiue appropriationem, vt hic ſit prophetię huius ſenſus futurũ in gente Iudaica & penes viros eius gentis principatũ, donec venerit Meſſias, nam ſemper vſque ad tempus Herodis, & Chriſtum

Do-

Dominum, qui principatum tenuerũt in populo fuerunt Hebręi, ſiue ex tribu Leui vt à captiuitate Babilonica, ſiue de tribu Iuda tempore Regum à primo Rege Dauid, vſque ad vltimũ Sedechiam, ſiue ex alijs tribubus poſt egreſſum ex Aegypto vſque ad tempora Dauidis. Quã interpretationẽ verã eſſe, & prę cęteris amplectẽdam oſtendit, quia hęc explicatio reddit prophetiam Iacob planam, & facilimam intellectu, nihil continet abſurdi, nihil confictum habet nihil temerè dictũ, non inuoluitur difficultatibus quibus aliæ expoſitiones intricatæ ſunt, nullis premitur incõmodis quibus aliæ oẽs vehementer vrgentur. Confirmatur idipſum teſtimonio ſanctorum Patrum, qui eiuſdem ſunt ſententię, Iuſtini Mart. Dialogo cum Triphone D. Athanaſij lib. de incarnatione verbi. D. Amb. de benedict. Patriarcharum. cap. 4. D. Chryſoſt. hom. 67. in Gen. D. Auguſtini lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 43. Theodoreti quęſt. vltima in Gen. Euſebij Cæſarienſis lib. 6. hiſtoriæ Eccleſiaſticę. cap. 64 Et Ruperti Abbatis lib. 9. commentariorum in Geneſ. capit. 29. Secundo probat Peretius hanc ſententiam ex ſerie & ordine principum à Moyſe vſque ad Herodem. Deinde ſentit de nulla duodecim tribuum Iſraęl propriè vę ab alijs diſtincta verè dici poſſe in ea fuiſſe ſceptrum & ſupremum imperium ab initio vſque ad Meſſiæ aduentum: Nam tribus Iuda de qua dubitari poteſt magis quàm de alia quauis à Moyſe vſque ad Dauidem per annos 430. non

Probatur hæc ſententia.

Tribus Iudæ à Moyſe vſque ad Dauidem per annos 430 non præfuit populo niſi annis 47.

præfuit populo niſi bis iudicibus Othoniele & Abeſane, idq; annis tantum quadraginta ſeptē; poſt reditum autē à captiuitate vſque ad regnū Herodis Aſcalonitæ per annos 510 cum ſummo imperio præfuerunt Iudaico populo Pontifices de tribu leui. Addit denique Pererius hāc prophetiam licet non in vna tantum & ſola tribu Iuda effectum ſuum ex toto habitura eſſet, verè tamen & rectè eam applicatam fuiſſe tribui Iudæ potius quam alicui aliarum duabus de cauſis; vna quod ſceptrum & imperium Iudaicum longiſſimo tempore, id eſt per annos 475. (ſi addamus vndecim annos quibus regnauit Sedechias) fuerit penes tribum Iuda: Altera cauſa eſt quia etſi poſt reditum à captiuitate Babylonica, qui ſceptrum & principatum tenuerint, fuerint Pontifices de tribu Leui, ipſum tamen imperium quod vulgo coronam vocamus erat de tribu Iuda, nam regio ipſa quæ poſſidebatur vel tota vel maxima ex parte ad ſortē tribus Iudæ pertinebat, & qui ſubditi erant etiam de tribu Iuda quę ſola cum tribu Beniamin reuerſa eſt: Ciuitas quoque Regia Hieroſolyma caput Regni à Dauidis regis tempore ad tribum hanc pertinuit, hinc factum eſt vt à captiuitate tota illa gens Iudæorum nomine appellata ſit: & quamuis principes de tribu Leui fuerint tamen nec ipſum dicebatur leuiticum ſed Iudaicum, nec principes appellabantur reges leui, ſed Reges Iuda. Quare cum dicitur *Non auferetur ſceptrum de Iuda* poſita eſt pars nobiliſſima

Poſt captiuitatē vſque ad Christum præfuerūt populo Iudaico Pontifices.

ſima illius populi, pro toto populo, ut interdũ Hieroſolyma vel Sion pro Iudæis, & Babilon pro Chaldæis, & Samaria vel Ephraim pro regno decem tribuum.

Reijcitur ſententia Pererij.

Hæc Pererij ſententia non multum differt à ſuperiori Euſebij quam refutauimus, & reijcitur primò, quia Iacob nouiſſimo hoc ſermone quem cum filijs ſigillatim habuit, prænunciauit quæ ſingulis & eorum poſteritati eſſent ventura; ergo idem in hoc vaticinio Iudam alloquitur; alioqui ſolus omnium filiorum Iuda hoc ſermone ſpectante ad totum populum à patre eſſet dimiſſus, neque hoc vaticinium ad ſingularem aliquam dignitatem & prærogatiuam tribus Iudæ potius quam ad quamlibet aliarum tribuum pertineret. Secundo verba quæ præcedunt. *Iuda te laudabunt fratres tui* non in communi pertinent ad populum Iudaicum, ſed propriè ad Iudam, & eius tribum, & quæ ſequuntur *ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem ò fili mi aſinam ſuam* dicta ſunt de vbertate terræ promiſſionis, quæ tribui Iudæ ſorte obtigit; Quare cum prior & poſterior pars huius prophetiæ ad tribum Iudæ propriè pertineat, etiã quæ intermedia ſunt de eadem intelligenda ſunt.

Reſpõdet Pererius cur vaticinium hoc præcipuè ad Iudam applicandum ſit.

Reſpondet Pererius tribus de cauſis vaticinium hoc præcipuè ad tribum Iuda voluiſſe Patriarcham Iacob applicare. Prima, quia prænouerat ſpiritu prophetico principatum futurum penes tribum Iuda longiſſimo tempore floren-

tiſſimum & potentiſſimum per annos quingentos & viginti tempore Iudicum per annos 47. penes Othoniclem, & Abiſſam de tribu Iuda, poſtea à Dauide primo rege Iuda vſque ad vltimum Sedechiam per annos 475. quo tempore reges ſapientiſſimi floruerũt, Dauid, Salomon, Ioſaphat, Ezechias, & Ioſias. Secunda cauſa eſt, quia præuiderat fore aliquando vt populus Hebręus à tribu Iuda nomen accipiens, non amplius appellaretur Hebręus, & Iſraeliticus, ſed Iudaicus, quod vt tradit Ioſephus lib. 11. antiquitatum primo accidit poſt reditum ex captiuitate, rediit enim ſola tribus Iuda mixta cũ Beniamin. Tertia eaque pręcipua cauſa, quia licet poſt captiuitatem qui ſceptrum & principatum tenuerunt Pontifices fuerint de tribu Leui, ipſum tamen ſceptrum & imperium fuit in tribu Iuda, & ſedes regni Hieruſalem ad tribum hãc pertinuit, quamuis autem de tribu Iuda defecerit princeps, ipſum tamen ſceptrũ nõ defecit, vt indicant verba quę ſequuntur in vaticinio, *& dux de fæmore eius*, quę intelligi poſſunt ſub hac diſiunctione nũquam defuturum de tribu Iuda vel principem vel principatum, & ſceptrum; ipſi enim Pontifices qui poſt captiuitatem pręfuerunt, quamuis eſſent de tribu Leui non appellabantur reges aut Principes Leui, ſed Iudæ; ſicut ſceptrum Anglię fœlicibus auſpicijs modo tranſlatũ eſt in reges Scotię deficiẽtibus regibus eius regni, non tamẽ hac de cauſa dicitur defeciſſe ſceptrum Anglię, cũ ſit princi-

Populus hebræus quãdo primo Iudaicus vocatus eſt.

patus

patus idem, immo maior qui prius, translatus tamen in aliam familiam. Sed hæc Pererij reſponſio nō quadrat, cum diſcedat à vero & germano ſenſu ſcripturæ prophetiam intelligens de omnibus tribubus, ſatis.n. oſtendunt quæ antecedūt & ſubſequūtur de Iuda oīa intelligi; neque verū eſt, qđ tradit prœuidiſſe Iacob principatū penes tribū Iuda per annos 520. atq; ita poſuiſſe Iudā pro toto populo. Nā à Moyſe primo Duce vſq; ad Dauidē fuere anni 427. quo tēpore principatus, nūc in Ducibus Moyſe et Ioſue, nūc in Iudicibus extitit, nō ī vna aut altera tribu, ſed in oībus duodecim tribubus. Tum deinde tēpore regū ſi excipias regnū Dauidis & Salomonis, qbus vniuerſus populus Hebręus ſubditus erat; Reges Iſrael habuerūt nouē tribus ſub ditione; Reges autem Iudę tm̄ tribus Iudę & Beniamin, & partem Leuiticæ, quo tempore regnum Iuda non fuit potentiſſimum & florentiſſimū, ſed regnū Iſrael, niſi reſpectu religionis quæ in Iuda cōſeruata eſt deficiēte Iſraël à vero Dei cultu, cuius nulla mentio hic habetur, ſed de poteſtate imperij & principatus; multo igitur magis debuit Iacob meminiſſe regni Iſrael, q̄ regni Iudę ſi de ampliori ſceptro populi, & gētis egiſſet; neque dixiſſet *non auferetur ſceptrum de Iuda* ſed de Iſrael. Nam quod regnum decē tribuū numero ſius fuerit regno Iudæ, non modo conſtat ex eo quod decem tribus abierunt poſt Ieroboam, & ſucceſſores eius, ſed etiam ex eo quod tradit D. Hierony. in commentarijs ad Oſeam cap. 4.

Reijcitur ratio Pererij.

Duę tribus referebant eccleſiā in nouē tribus Iſrael hęreticos quorum multitudo maxima.

in omnibus propheris duas tribus quæ appellātur nomine Iudæ poſſidere perſonam Eccleſiæ Catholicæ, quibus præerant poſteri Dauid, decem autem tribus referri ad hæreticos quorum multitudo maxima eſt.

Secūda ratio Pererij reijcitur.

Secūda cauſa allata à Pererio etiam reijcitur, quia tempore Iacob ignota erat illa populi Iudaici denominatio, & intellexit ita nominandū ſpiritu prophetico, quod in tribu Iuda foret ſedes regni fidelis, & in tribu Beniamin quæ tanquam minus præcipua comprehenditur nomine Iudæ, templum Salomonicum matrix & cathedra verę religionis, & in ſola tribu Iuda permanſurum ſceptrum vſque ad Chriſtum. Præterea falſum eſt ſolum rediſſe de captiuitate tribus Iudę & Beniamin; nā ſolutio captiuitatis aſſignanda eſt anno primo Cyri regis, qui fuit beneficus erga Iſraelitas, cumque eſſet rex non modo Babiloniorum, verum etiam Medorum & Perſarum, vbi decem tribus detinebantur vt oſtendimus cum ageremus de Iudæis clauſis, nō modo conceſſit facultatem Hebręis de tribu Iuda & Beniamin redire in terram ſuam, ſed etiā omnibus alijs tribubus captiuis i vniuerſis prouincijs & regnis ſuis 2. Paralip. cap. vlt. & primo Eſdræ cap. 1. *in anno primo Cyri regis Perſarum ſuſcitauit Dominus ſpiritum Cyri, & traduxit vocem in omni regno ſuo etiam per ſcripturam dicens. Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cœli, & ipſe præcepit mihi, vt ædificarem ei domum in Hieruſalem &c.* Conſule

Redierūt a captiuitate ex qualibet tribu aliqui.

 Ioſe-

Ioſephum lib. 11. antiquitatem cap. 1. & 1. Paralip. cap. 9. ver. 3. vbi dicũtur redijſſe de filijs Iudæ Beniamin & Ephraim, & Manaſſe, & Genebrardum in Chronog. anno mundi 3638. Non igitur ex vna tantum tribu aut altera redierũt, ſed ex omnibus etſi non omnes vt tradit Ioſephus locò citato, quia multi manſerunt in Babilonia nolentes relinquere poſſeſſiones ſuas, quibus omnibus præfuit tribus Iuda, cum iam defeciſſet ſceptrum Iſrael multò ante tempora captiuitatis Babiloniæ anno decimo Oſeæ vltimi Regis Iſrael, qui fuit annus ſextus Ezechiæ regis Iuda.

Manſerunt in captiuitate multi qui noluerũt relinquere poſſeſſiones ſuas.

Tertia denique cauſa, quæ probabiliſſima viſa eſt Pererio, infirma eſt; multi enim valdè probabiliter ſentiunt Pontifices Machabæos fuiſſe ex paterno genere de tribu Iuda, de quo inferius agendum eſt. Quod ſi concedamus fuiſſe ex genere paterno de tribu ſacerdotali, erant tamẽ ex matre ſaltem de tribu regia, nemo enim hactenus negauit Machabæos fuiſſe de tribu Iuda, vel ex paterno genere vel ex materno, qui pręfuerunt vſque ad Herodem Aſcalonitam; vnde nunquam defuit de tribu Iuda ſceptrum tenens Hebræorum, neque Pontifices Machabęi etſi demus illos fuiſſe de tribu regia ex matre, & ex patre de tribu ſacerdotali propterea dicebantur principes leui, quia nullus erat principatus tribus leuiticæ ſicut neque ſors aut portio hęreditatis niſi inter tribus alias. Quod autem aſſerit Pererius hanc ſuam ſententiam nul

Tertia ratio Pererij reijcitur.

Machabęi ex paterno genere de tribu Iuda.

lis

lis difficultatibus præpediri, & communem ſanctorum Patrum eſſe interpretationem, quã-uis hoc verum ſit, facilè omnes difficultates quę oriuntur ex hoc vaticinio expediri, ab ea tamen ſententia diſcedimus cum falſa ſit & contra ſcopum ſcripturæ, neque enim quærimus quid ſit explicatu facilius, ſed quænam, ſit legitima ſcripturæ interpretatio. Ad auctoritatem ſanctorum Patrum Reſpondeo illam non modo nihil ſuffragari illi ſententiæ ſedet directè cũ illa pugnare: nam D. Iuſtinus aſſerit, nunquam deſuiſſe Hebræis Principes vſque ad Chriſti aduentum, quod nos contendimus demonſtrare etiam de tribu Iuda. D. Athanaſius ſcribit hoc vaticinio Iacob definiuiſſe tempus, quo duraturũ erat regnum Iudaicum, quod nos etiam planè profitemur fuiſſe ſemper aliquos de poſteritate Iudæ principes vſq; ad Chriſtũ: quod ſi teſtimonium Athanaſij fauet Pererio, nimirũ Reges Iudæ fuiſſe etiam ex alijs tribubus, ſequeretur non modo rediiſſe de captiuitate tribum Iuda, ſed etiam alias tribus, quod Pererius negat D. Ambroſius docet non defeciſſe ducem ex Iuda, neq; regalem ſucceſſionem apud Iudæos vſq; ad ortũ ſaluatoris, quod quidem & nos inquirimus in hac prophetia D. Chryſoſt. Theodoretus & Auguſtinus exiſtimãt extitiſſe principes Iudæorũ vſque ad tempora Herodis alienigenæ. Euſebius Cæſarienſis eandem omnino ſententiã tenet quam ſuperius confutauimus. Tandem Rupertus aſſerit defeciſſe Reges Iuda à tempore capti-

Ad authoritatẽ Patrum Reſp. male pro ſe citat patres cum contrariũ dicant.

pti-

ptiuitatis Babilonicæ, non tamen defeciſſe principes de Iuda, quæ certiſſima huius loci interpretatio eſt.

Cæterum Pererius ſibimet contradicit, ſcribit enim hic nume. 82. vbi refellit quartam ſententiam eorum qui dicebant ſceptrum eſſe tribum vel familiam, ſi ea inquit eſſet vera, fore vt Iacob nihil dixerit eximiũ aut ſingulare de tribu Iuda, quod alijs quoque tribus æquè non cõueniret; nam hæ etiam vſq; ad aduẽtum Chriſti permanſerunt. Ex qua ratione Pererij ſic cõtra ipſum argumentamur; ſententia quæ aſſerit tribum eſſe ſceptrũ eſt falſa, quia ex ea ſequeretur Iacob nihil dixiſſe eximium, aut ſingulare de tribu Iuda, quod alijs quoque tribubus æquè non conueniat. Ergo eadem prorſus ratione explicatio Pererii, quæ habet ſceptrum eſſe principatũ omnium tribuum falſa eſt, quia nihil dixiſſet Iacob eximiũ aut ſingulare de tribu Iuda, quod alhis etiam non quadraret. *Pererius ſibimet cõtradicit.*

Poſtrema ſentẽtia eſt. Sceptrũ & virgam eſſe principatus poteſtatis, & imperii ſceptrũ ĩ poſteritate Iudæ. Probatur hęc ſentẽtia ex his quæ dicta ſunt cõtra varias aliorũ explicationes, auctoritate ẽt ſcripturæ, quæ ſæpè vſurpat nomẽ שֵׁבֶט ſchebet, pro ſceptro dominii, & principatus, quamuis aliquãdo ponatur pro virga & ſceptro regio, aliquando etiam pro principatu, licet non regio: vtriuſque acceptionis ſuppetunt teſtimonia. Et primo quidem de ſceptro regio Pſalm. 44. ver. ſeptimo. שֵׁבֶט מִישׁוֹר שֵׁבֶט מַלְכוּתֶךָ *Sexta ſententia probabilior.*

ſcheuet

ſchebet miſchor ſchebet malcuteca, id *virga di-
rectionis, virga regni tui*, vbi agitur de Chriſti re
gno æterno, quod vocamus regnum Eccleſiæ, de
quo Daniel cap. 2. *Regnum eius regnum æternum
quod non diſſipabitur*. & Pſal. 145. *Regnum tuũ,
regnum omnium ſæculorum*. Et Lucę cap. 1. *Re-
gnabit in domo Iacob in æternum*. Quod nos etiã
profitemur in ſymbolo Niceno *cuius regni non
erit finis*, ponitur autem in hoc Pſalmo 44. bis
nomen *virga* in vulgata editione, & in Hebręo
nomen ſchebet, quo vſus eſt Iacob hoc loco. Ca
pitur etiam pro poteſtate adminiſtrandi, & im
perio. Mich. capit. 7. verſic. 14. רְעֵה עַמְּךָ בְשִׁבְטֶךָ
Reamecha beſchibtecha, id eſt, *paſce populum
tuum in virga tua*. Vtrumque & regnum &
principatum inuenimus in poſteritate Iudæ, ſi
incipiamus à primo Rege Dauid vſque ad
Chriſtum, nam Reges Iuda extiterunt vſque ad
vltimam captiuitatem, quæ fuit anno vndeci-
mo Sedechie Regis, principes verò nunquam
defuerunt de poſteritate Iuda tempore captiui-
tatis, & deinceps. Fauent huic ſententiæ autho
ritates Patrum quas ſuperius oſtendimus non
fauere Pererio. His addimus veterum interpre-
tum grauiſſima teſtimonia. Septuaginta enim,
quorum authoritas maxima, tranſtulerunt. Nõ
deficiet ἄρχων, id eſt Princeps. Paraphraſtes vẽ-
rò Chaldæus ſic עָבֵד שָׁלְטָן aued ſoltan, id
eſt, habens principatum. Quoniam autem à Da
uide vſque ad Chriſtum non ſemper fuerũt Re-

Probatur hæc ſentẽtia ex patribus.

ges

ges, idcirco generaliori vocabulo, virgam vel ſceptrum exponimus poteſtatem, principatum, imperium, regimen & præfecturam de domo Iuda. Complectitur autem principatus, & imperium non tantum ſceptrum regium vſque ad Sedechiam, verum etiam principatum & imperium eorum qui populo præerant in captiuitate, & deinceps vſque ad Chriſtum, qui ab Hebræis dicti ſunt רָאשֵׁי גָלוּתָא raſche galuta, id eſt, capita captiuitatis, & à Græcis αἰχμαλωταρχαὶ, id eſt, principes exulum. Et iuxta Origenē. lib. 4. περὶ ἀρχῶν. Patriarchæ. An autem principes ſemper fuerint de tribu Iuda in captiuitate, & poſt eam, fuſius in ſequentibus oſtendemus.

QVAESTIO III.

Quis ſit Dux de femore Iudæ.

QVEMADMODVM de ſceptro Iudæ variæ ſunt interpretum ſententiæ, ſic etiam de Duce, qui dicitur non auferendus de femore Iudæ, donec veniat qui mittendus eſt.

PRIMA ſententia eſt Talmudiſtarum in libro Zanedrim. Sect. *Iudicia diuitiarum*, hi exiſtimant eum qui dicitur in noſtra editione *dux*, & in Hebræo מְחוֹקֵק mehokek, id eſt, ſcriba, Iudex legiſlator, Dominus, præcipiens, eſſe filios filiorum Hillel doctores legis, tales erant Zanedrim, id eſt, iudices, qui quoniam edocti à *Prima ſententia Talmudiſtarum.*

-27 diſci-

Hillel eiuſque diſcipuli 9. diſcipulis Hillel, vocati ſunt filii filiorum Hillel, qui omnium fuit doctiſſimus qui fuit pater Sancti Simeonis iuſti, & Simeon pater Gamalielis, ad cuius pedes gloriatur D. Paulus Act. 22. ſe legem Moſaicam didiciſſe. Gamaliel fuit pater Simeonis iunioris: horum conſilio ſynagoga per centum annos integros adminiſtrata eſt ex Hebręorum ſententia, vſque ad Romanā captiuitatem: patres enim magnæ Sinagogæ auditoribus expoſuerunt legem verbo & ſcripto, nā ante Eſdram inter prophetas & ſapientes legis explicatio tenebatur occulta; ab Eſdra vero qui legem reſcripſit in templi euerſione combuſtam, ſapientes & Rabbini legis expoſitionem ſcribere cęperunt. Vixit autem Hillel temporibus Alexandri Ioannis crudelis qui fuit penultimus de familia Machabęorū per centū & viginti annos integros vt tradit Rabbi Abraham in Kaballa hiſtoria, habuit diſcipulos celeberrimos inter quos clariores extitere Ionathā filius Vzielis, cuius meminit Iuſtinus Martyr quęſt. 63. ad orthodoxos ſub nomine tranſlatiōnis Syriacę, eius adhuc extat pars magna in Prophetas, cum totum vetus teſtamentum Chaldaicè tranſtulerit, & Chriſti myſteria reuelauerit, qui mortuus eſt annis viginti octo ante Chriſti natiuitatem. Paraphraſtes Chaldaicus appellatur, etſi potius ſit translatio quam Paraphraſis, niſi vbi aliquid de Chriſto ſiue Meſſia eſt explicandum. Nam quinque libri Moyſis interpretem & Paraphraſtē habent Onkelos, libri

verò Hagiographi partim habent Rabbi Achiba, partim Rabbi Ioſeph cœcum. Numerantur quoque inter diſcipulos Hillelis Simeon iuſtus, qui Chriſtum Dominũ in vlnis ſuſcepit, in quo Simeone conſtãter affirmãt Talmudiſtæ in tractatu de capitulis Patrũ, ſiue pirche auoth, defeciſſe ſpiritum ſynagogæ magnæ, qui erat minor prophetico, & maior cõmuni. Minimus omniũ diſcipulorum Hillelis eruditione fuit Ioannam Benzakai, id eſt filius Zachei, quẽ tamẽ vniuerſum corpus ſcripturæ & Kaballæ, ideſt legis ſcriptæ, & traditæ ore, & cũctas etiam philoſophię partes exactiſſimè tenuiſſe, atq; ſcholæ ſcribarũ, & Phariſęorum magna cum laudę pręfuiſſe ſcribunt Hebræi. His autem autem duobus Simeone Iuſto, & Ioanne Zachæi filio tradidit legis expoſitionem Hillel. Simeon Iuſtus Gamalielem habuit auditorem filium proprium: hic Rabban Simeon eius filium qui poſtea ab Adriano Imperatore occiſus eſt: hic filium ſuum Iudam diſcipulum & auditorem habuit qui propter morum probitatem & doctrinæ excellentiam, dictus eſt Rabbenu hacados. Hos itaque dicunt hebræi duces fuiſſe, & legislatores de fęmore Iudæ. Sed hæc ſentẽtia merito reijcitur. Primo, quia loquitur Iacob de ſingulari perſona, neque .n. dixit, nõ auferentur duces de fœmore Iudę, ſed dux vel legislator. Secũdo, quia Hillel vixit paulo ante tempora Chriſti, floruit enim ſub Alexandro Ioanne crudeli, qui hæreticus fuit, & ſex millia Catholicorum Iudæorũ

Reijcitur hęc ſentẽtia.

Hillel quo tempore vixit.

occidit, ſeptingentos Phariſæos crucifixit, cæteros in fugam conuertit, hic principatum tenuit annis vigintiſeptem, cui ſucceſſit Alexādra eius vxor vidua: quæ regnum tenuit annis nouē Alexandræ ſucceſſit Hircanus filius rex & ſummus Pontifex, qui matris teſtamento & iure primogenituræ regnum accepit: hic pontificatum tenuit annis viginti quatuor, atque in hoc Hircano qui fuit vltimus de poſteritate Machabæorum defecit ſceptrum Iudæ, hunc enim Herodes Aſcalonita interfecit & regnum ſibi vſurpauit. Ex quibus apparet à tempore Hillelis, vſque ad ſceptri Iudæ exitum eſſe ad ſummum annos 70. vel ſexaginta vnum, ſi ſubtrahamus nouem annos regni Alexandræ, qui ſimul currūt cum annis Pontificatus Hircani, eo quod Alexandra regnum ſibi aſſumpſerit, Pontificatum verò Hircano filio natu maiori conceſſerit.

Hircanus vltimus i quo defecit ſceptrū Iuda.

Sequeretur ergo ex hac interpretatione Hebræorum, ſceptrum Iudæ eodem ferè tempore incepiſſe & defeciſſe, quo nihil abſurdius, cum datū ſit ſceptrūin ſignū euidētiſſimū aduentus Chriſti, & dux promiſſus de fęmore Iudę ceſſaturus. Quod autem hoc ſequatur patet, quia ſi filij filiorum Hillel ſunt *Dux de fęmore Iuda* Hillel autem floruit ſexaginta ad ſummum annis ante ducem deficientem, & filij filiorum eius ad minimum inciderunt in extrema temporā Pontificatus Hircani, & in temporā Herodis Aſcalonitæ. Accedit quod ipſemet Herodes omnes Zandrim id eſt ſeptuaginta ſeniores de domo Iuda

Herodes occidit oēs ſeniores de domo Iudæ.

na interfecit anno trigeſimo regni ſui, & alios ex proſelytis Legiſperitos ſubſtituit, vt docet Philo,& tradunt cõmuniter omnes Hebræi.

Secunda ſententia eſt communis ducem & ſcribam de fęmore Iuda eſſe legislatorem, Principem & dominatorem. Fauent huic ſententiæ ſeptuaginta interpretes, qui *ducem* verterũt ἡγεμὼν. Et Chaldæus Paraphraſtes, qui vertit ſcribam *legiſperitum*, quaſi ſenſus eſſet prophetiæ, non deficiet ſceptrum, id eſt principatum tenens de Iuda, neque ſcriba & Legiſperitus de filijs filiorum eius vſque ad Chriſtũ. Quod verò in vulgato eſt *de fęmore eius* in Hebræo habetur מִבֵּין רַגְלָיו mibben raglau, id eſt, de interpedes eius, quaſi diceret de poſteritate eius. Eruditè D. Hieron. hunc hebraiſmum latinè expreſſit, *de fęmore eius*, id eſt de ſemine, generatione, & poſteritate; fęmur enim ſeu coxa corporis pars habebatur ſacra, quia poſteritas inde propagabatur. Gen. 24. *Pone manum tuam ſuper fęmur meum, vt adiurem te per Dominum Deum Cæli & terræ.* Et rurſus. *Poſuit ergo ſeruus manum ſub fęmore Abraham Domini ſui, & iurauit illi ſuper ſermone hoc.* In quem locum pulchrè D. Hieron. ſcribit; *tradunt* inquit *Hebræi, iuraſſe ſeruum in ſanctificatione eius hoc eſt circumciſione. Nos autem dicimus iuraſſe in ſemine Abrahæ, hoc eſt in Chriſto qui de illo naſciturus erat.* Plura hac de re D. Auguſt. lib. 16. de ciuit. cap. 33. Idem igitur hoc loco voluit ſignificare Iacob, cum dixit neque deficiet dux de interpe-

Secunda ſententia cõis. ducē eſſe legislatorem, principē & dominatorem.

Fæmur pars corporis ſacra quare.

des eius, id eſt, de femore ſemine, & poſteritate Iudæ. Quod etiam intellexit. Chaldæus Paraphraſtes, cum dixit *de filijs filiorum eius.* Hebræi vt vim huius oraculi ſubterfugiant, particulam *donec* quæ hebraicè eſt עד ad, ficta quadam interpretatione inuertunt, dicunt enim hunc eſſe ſenſum, *non auferetur ſcep. rũ de* Iuda, *neque legiſlator uel ſcriba de interpedes eius* עד ad, id eſt, *vſque in ſæculum, quando ueniet, vel cũ veniet qui mittendus*, quaſi Iacob prophetauerit Iudæ firmitatem, & ſtabilitatem regni per Chriſtum, & poſt eius aduentum. Itaque Hebræi poſt particulam עד id ponunt punctum, & quia hæc particula in ſcriptura ſignificat ſæculum & æternitatem, hunc confingunt ſenſum; *nõ auferetur ſceptrum Iudæ* עד ad pro לעד laad *vſque in ſæculum*, & deinceps adijciunt verba quæ ſequuntur כִּי יָבֹא שִׁילֹה ci iauo Siloh, id eſt *quoniam veniet Siloh, vel quando ueniet Siloh.* Ex hac falſa punctuatione, & explicandi ratione colligunt adhuc non defeciſſe ſceptrum Iudæ; neque quando veniet Meſſias, auferendum eſſe, ſed potius tunc confirmandum & magis magisq; ſtabiliendum, ita vt ſint duæ partes huius prophetiæ hoc ſenſu explicandæ.

Falſa interpretatio Iudæorum huius loci.

Reijcitur hęc hebræorum explicatio

Hæc ſententia directè pugnat cũ inſtituto Iacob, & cõmuni interpretum mente, quæ conſtituit tunc auferendũ eſſe ſceptrum quando veneit Meſſias. Poterit tamen hæc ſentẽtia Hebręorum probari Iacob ſcilicet loqui de cõtinuatione

Obiectio.

ne ſceptri & eius ſtabilitate per aduentũ Chriſti Domini; Particula, enim *donec*, in ſcriptura,& ex proprietate linguæ ſanctæ hanc habet ſignificationem, Pſal. 109. *Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*, cuius loci hic eſt ſenſus; *Sede à dextris meis, etiam poſtquam poſuero inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum*: nam *donec* nõ ſignificat excluſionẽ,& exceptionem ſequentis temporis ſed potius continuationem,ac ſi dixiſſet,ſed à dextris meis,mecum regna vſque ad conſummationem ſæculi, quo tempore inimicos tuos pedibus tuis ſubijciam. Similiter Pſal. 122. qui eſt vnus ex gradualibus,qui ab Hebræis dicuntur שִׁיר הַמַּעֲלוֹת ſchir hamma alot, ideſt cantica aſcenſionis, ſic dicta quia redeuntes de captiuitate cantabant hæc cantica aſcendendo Hieroſolymam, quæſita erat in loco excelſo. In illo itaque Pſalmo hæc verba habentur. *Ita oculi noſtri ad Dominum Deum noſtrum, donec miſereatur noſtri*, ac ſi dicerent non modo oculi noſtri intenti erunt ad Dominum, dum noſtri miſerebitur; dum reditum & libertatem expectamus, ſed etiam poſtquam liberati fuerimus. Et Matth. 1. *Non cognouit eam donec peperit filium ſuum primogenitum*,id eſt neque ante neque poſt. Quibus locis particula *donec* non excludit tempus futurum:ergo incerta videtur catholicorum expoſitio, quæ aſſerit auferendum eſſe ſceptrum in aduentu Meſſiæ, cùm potius tunc ſit magis confirmandum.

Donec in ſcriptura q d ſignificet.

Pſalmi graduales vnde dicti.

Digitized by Google

Sed hæc interpretatio Hebræorum prorſus inuertit ſenſum ſcripturę, nam particula עַד ad ſignificat æternitatem & ſæculum, vt Eſaiæ 9. אֲבִי־עַד aui ad, id eſt *pater æternitatis.* Et cap. 57. verſicu. 15. כוה אָמַר רָם וְנִשָּׂא שׁוֹכֵן עַד choh amar ram veniſſa ſchouen ad, id eſt *ſic ait excelſus, & ſublimis habitans æternitatem;* Nihilominus ſignificat etiam donec, vſque, ſine continuatione & ſucceſſione temporis ſequentis, vt Gen. 3. verſi. 19 עַד שׁוּבְךָ אֶל־הָאֲדָמָה ad ſchubecha el haadama, id eſt *Donec reuertaris in terram.* & capit. 19. verſic 22 מַהֵר הִמָּלֵט שָׁמָּה כִּי לֹא אוּכַל לַעֲשׂוֹת דָּבָר עַד־בֹּאֲךָ שָׁמָּה maher himmalet ſchā ma ci lo ouchal, laaſoth dauar ad boacha ſchamma, id eſt *feſtina, & ſalua te ibi, quia non potero facere quicquam donec ingrediaris illuc.* Denique Paraphraſtes Chaldæus hunc locum vertit, *donec veniat Meſſias;* Altera autem particula quæ immediate ſequitur כִּי ci, ſignificat, coniuncta autem cum particula עַד ad, quæ prę ceſſit ex vſu ſcripturæ ſignificat donec.

¶ Præterea in nullis biblijs Hebraicis interpretatio illa quam Hebræi fingunt obſeruatur, ſed poſt verba illa מִבֵּין רַגְלָיו mibben raglau, id eſt *de inter pedes eius*, ponitur diſtinctio in Hebræo, quę non poneretur ſi dictio עַד ad ſignificaret ſæculū & æternitatem; hoc ſenſu non auferetur ſceptrum de Iuda, neque dux de inter pedes eius in ſæculum; at verò, quia עַד ad non ſi-

gnificat ſceptrum,& æternitatem,non coniungitur cum præcedentibus,ſed cum ſequentibus, *donec veniet qui mittendus eſt*; ponitur etiam accentus ſub dictione רַגְלָיו raglau, id eſt *pedes eius*, qui vocatur Atnach, accentus eſt regius diſtinctiuus, cuius vim latini exprimunt per duo puncta, quod verum eſt in vniuerſa ſcriptura, ſi excipiamus libros prouerbiorum, pſalmorum & Iob in quibus ea ratio non ſemper eſt conſtans, vt tradunt Hebræi; recedunt itaque Rabbini hi recentiores ab antiqua maiorum ſuorum authoritate, & accentuum collocatione vt vim huius oraculi ſubterfugiāt.

Atnath accentus diſtinctiuus apud hebræos.

QVAESTIO IIII.

Quis eſt qui mittendus dicitur in cuius aduentu ſceptrum Iudę auferetur.

RECentiores Iudæi ſenſum huius prophetiæ inuertentes ſentiunt intelligendā eſſe de Moyſe primo duce Iſraelitarū. Sed hoc eſt merum figmentum, principatus enim incepit in Moyſe, ergo Moyſes non eſt qui mittendus erat, alioquin in eodem incepiſſet & defeciſſet ſceptrum. Deinde etſi principatus initium ſumpſit à Moyſe, hic tamen nō fuit de tribu Iuda ſed de tribu Leui, quod eſt contra verba ipſius Iacob.

Prima ſententia hebræorum Moyſem eſſe ...ob Reijcitur.

Alij exiſtimant locum iſtum intelligendum

Secunda ſententia

Saul Regem Hebræorũ eſſe Syloh. eſſe de Saule primo Rege Hebræorum, qui in Regem electus, vnctus fuit in Siloh vbi erat Arca Domini, in qua ſeruabatur vnctio, & tunc ſceptrum, inquiunt, ſiue principatus quod vſque ad illud tempus fuerat in Iuda, translatũ eſt in Beniamin Saul enim erat de tribu Beniamin, Vim & fundamentum huius opinionis ponunt in dictione Hebraica שִׁילֹה Silo, quam reddit vulgatus interpres *qui mittendus eſt*. Hanc dicunt ſignificare proprium nomen ciuitatis, cuius fit mentio 1. Samuel cap. 2. & Ioſue 18. quæ erat in ſorte Ephraim, vt teſtatur D. Hieronymus lib. de locis Hebraicis, in qua tabernaculum Domini quod Moyſes in deſerto conſtruxerat, & arca teſtamenti manſerunt vſque ad tempora Eli Iudicis ſimul & ſacerdotis, & Samuelis Leuitæ. Itaque interpretantur hunc locum, *non auferetur ſceptrum*, id eſt principatus ſiue Dominium à Iuda, donec veniat Silo, id eſt, vngendus in Silo, qui fuit Saul Rex.

Confertur hæc ſententia.

Reijcitur. SED hæc ſententia eſt penitus falſa. Primo, quia vt tradit ſcriptura 1. Samuel cap. 2. ante electionem Saulis Regis arca Domini in qua vnctio ſeruabatur iam tranſportata fuerat in Cariathiarim, vt ibidem dicitur. *Venerunt ergo viri Cariathiarim, & reduxerunt arcam Domini, & intulerunt eam in domum Aminadab in Gabaa.* Et paulo poſt. *Et factum eſt ex die qua manſit arca Domini in Cariathiarim, requieuit omnis domus Iſrael poſt Dominum.* Eſt autem

tem Gabaa pars vrbis Cariathiarim, excelſa ſcilicet collis, ipſa vero vrbs eſt in tribu Dan, terminus tribus Iudæ & Beniamin miliaribus quatuor, vel vno tantum miliari vt docet S. Hieronymus, ad occidentalem plagam Hieruſalem, in qua manſit arca Domini annis viginti donec à Dauide translata eſt in Hieruſalem. Gabaa qd ſit.

SECVNDO reijcitur hæc ſententia, quia non oportuit vnctionem Regum fieri vbi erat arca, nam Saul vnctus eſt à Samuele in ciuitate quæ erat in terra Suph. 1. Samuel cap. 9. in qua habitabat Samuel, & non erat Silo, nam hæc erat in ſorte Ephraim: ſcriptura autem loco citato ait, Saul iam tranſijſſe montem Ephraim, & terram Saliſa in terrā Salim, & terram Gemini, id eſt, Beniamin, & tandem ipſe & puer eius in terram Suph venerunt, in qua erat ciuitas Samuelis, vbi ab ipſo vnctus fuit in Regem: nam in Maſphat legitur rex declaratus Suph verò quidam opinātur eſſe Ramatam Sophim.

TERTIO, quia ante Saulem Principes & Iudices, qui populum adminiſtrarunt non fuerunt de tribu Iuda ſi duos tantum excipiamus Othonielem & Abiſſam: ergo falſum eſt ſceptrum & principatum ad illud vſque tempus fuiſſe in tribu Iuda, & tunc translatum eſſe ad tribum Beniamin.

QVARTO, quia non poſſunt Hebræi oſtēdere ſceptrum Iuda, niſi in Dauide qui primus

mus ex illa tribu à Samuele vnctus eſt in regẽ regnante Saule: nam Othoniel & Abiſſan de tribu Iuda præfuerunt quidem, ſed horum principatus fuit interruptus, quia vtriſque ſucceſſerunt Iudices ex alijs tribubus vt ſupra oſtendimus in ſerie & catalogo Iudicum Iſrael. Ex hac itaque ſententia ſequeretur ſceptrum antequã incepiſſet in Dauide, qui primus erat de tribu Iuda, iam finem habuiſſe in Saule qui præceſſit Dauidem.

Tertia ſẽtentia Dauid eſſe Syloh.

TERTIA ſententia eſt etiam Hebræorũ exiſtimantium, *Silo* ſignificare Meſſiam vnctũ, hunc verò eſſe Dauidem, qui vnctus eſt in regẽ. Sed oportet, vt authores huius ſententiæ oſtendant quiſnam ante Dauidem tenuerit ſceptrũ Iudæ, quod cum demonſtrare non poſſint, planè fateri debent nullatenus quadrare hanc explicationem huic loco; antequam enim Dauid tenuiſſet ſceptrum & principatum, in alijs tribubus fuit poteſtas; Ergo deficeret ſceptrum Iuda antequam ad Iudam perueniſſet. Præterea fieri non poteſt vt ſimul in Dauide incipiat & deficiat ſceptrum. Denique dixit Iacob auferendum ſceptrum de Iuda in aduentu Meſſiæ, id eſt vncti: at in Dauide non defecit ſceptrum ſed tunc in eo primum cœpit, quod ſceptrum Hebræi negare non poſſunt in poſteritate Dauidis id eſt in regibus Iuda permãſiſſe ſaltem vſque ad Sedechiam.

Quarta ſẽtentia Ieroboam eſſe Siloca

QVARTA ſententia eſt Rabbinorum, qui *Siloh* pro loco excipientes, exiſtimant vaticinium

nium hoc intelligen ſtum eſſe de Ieroboam, qui fuit de tribu Ephraim. Nam cum decem tribus à Iuda diſceſſiſſent, propter durum reſponſum Roboam filij Salomonis, elegerunt primum regem Iſrael Ieroboam, quem Iacob ſignificat nomine *Siloh*; quaſi diceret, *Donec veniat Ieroboam coronandus in Siloch*, etenim tunc poteſtas regia regum Iuda diminuta eſt recedentibus decem tribubus, ſolumque manentibus duabus tribubus Iuda & Beniamin, & parte aliqua Leui.

CONTRA quando decem tribus conuenerunt vt Ieroboam regem conſtituerent, congregatio illa non eſt facta in Siloch, ſed in Sichem 3. Reg. cap. 12. *illuc enim erat congregatus omnis Iſrael, quando venit Roboam in Sichem ad conſtituendum eum regem.* Secundò, quia ſceptrum non defecit tunc de Iuda cum fuerint reges poſt Roboam de domo Dauid vſque ad Sedechiam, qui ſoli veri & legitimi reges cenſebantur exiſtentibus regibus Iſrael ſchiſmaticis & hæreticis. Refutatur

QVINTA ſententia eſt etiam Rabbinorum, qui aſſerunt *Siloh* nomen eſſe loci, & eo modo accipi à Iacob, verbum verò Hebraicum יָבֹא iauo, quod in vulgato eſt, *veniat*, dicunt ſignificare occidere, ſicut dicimus ſolem occidere, quod eſt genus loquendi frequens in ſcriptura, pro quo dicitur frequēter in Hebreo, ſol venire vt Geneſ. vigeſimooctauo. verſi. primo. Quinta ſententia.

וַיִּפְגַּע בַּמָּקוֹם וַיָּלֶן שָׁם כִּי בָא הַשֶּׁמֶשׁ mo vaiphga bammacon, vaialem ſcam ci ba haſchemeſch, *& occurrit in locum; & pernoctauit ibi, quia venit ſol,* id eſt quia ſol occidebat; in vulgato eſt, *cumque ueniſſet ad quendam locum & vellet in eo requieſcere poſt ſolis occubitum.* Præterea quod vulgatus dixit, *non auferetur* Hebraice eſt לֹא־יָסוּר lo ia ſur verbum autem סוּר ſur non tantum ſignificat recedere vel auferre, ſed etiam accedere & ad aliquem declinare & venire, vt Gen. 19. ver. 2. סוּרוּ נָא אֶל־בֵּית עַבְדְּכֶם ſuru na elbeth abdechem id eſt, *accedite ad domum pueri ueſtri.* Ex his colligunt Hebræi huius loci hunc ſenſum: non accedet ſceptrum Iuda donec occidat vel cadat Siloh, qui eſt ſenſus valde diuerſus à ſenſu Catholicorum: Hebræi enim aſſerunt hoc loco denotari tempus quando ſceptrum debet incipere, Catholici contra quando debet ceſſare. Vnde ſecundum illos hic erit ſenſus: non accedet ſceptrum domus Iudæ donec veniat Siloch, quaſi dicant nullus erit rex de tribu Iuda donec cadat ab honore locus Siloh ſublata inde arca teſtamenti. Nam quando arca de Siloh ablata eſt tunc aſſumptus eſt Dauid in Regem de tribu Iuda. Confirmant hanc opinionem ex Pſal. 77. verſi. 74. *Et repulit tabernaculum Ioſeph, & tribum Ephraim non elegit, ſed elegit tribum Iuda, montem Sion quem dilexit.* Quo loco agitur de occaſu Siloh, & initio ſceptri Iudæ, vt patet

Digitized by Google

tet ex conſequentibus, *& elegit Dauid ſeruum ſuum, & ſuſtulit eum de gregibus ouium, de poſt fœtantes accepit eum*. Hanc ſententiam irrefragabilem exiſtimant Hebræi, quam tamen ſic euertimus cum Toſtato. Primo, quia Siloh non poteſt ſignificare locum, ſequitur enim in contextu. *Et ipſe erit expectatio gentium*; Siloh verò locus non fuit expectatio gentium; neque gentes ſunt ad illum congregatæ. Secundo reijcitur ex ſubſequentibus *ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem ô fili mi aſinam ſuam*, quæ nequeunt conuenire loco Siloh; ſicut neque ea quæ dicit Iacob de eodem Iuda *pulchriores ſunt oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores.*

Reijcitur hæc ſententia.

SEXTA ſententia eſt communis multorum Hebræorum per Siloh ſignificare, mittendum, & hunc fuiſſe Nabuchodonoſorem magnum Babiloniorum Monarcham, qui propter Hebræorum ſcelera, & idololatriam à Deo mittendus erat ad eorum & patrum peccata punienda, ſicut & de facto miſſus eſt anno vndecimo Sedechiæ Regis Iudæ, qui *catenis vinctus ductus eſt Babilonem*, & translatus eſt Iudę principatus 4. Reg. capit. vigeſimoquinto. Vnde hunc locum ita exponunt. *Non auferetur ſceptrum de Iuda donec ueniat Nabuchodonoſor à Deo mittendus:* hac de cauſa prophetiam hanc non intelligunt de Meſſia ſed de Nabochodonoſore. Nam ſi de Meſſia intelligeretur, tunc veniſſet cum ſceptrum Iudæ ablatum,

Sexta ſententia Siloh eſſe Nabuchdonoſr.

latum,& ciuitas, templum,& palatium regium combuſta,& ſolo æquata ſunt, verba etiam quæ ſequuntur *ipſe erit expectatio gentium* de eodem rege Babiloniorum interpretantur, cuius dominium, inquiunt, fuit in multis gentibus, ipſe enim eſt caput aureum in viſione quam interpretatus eſt Daniel cap. 2. *Tu Rex regum es,* ait Daniel Nabuchodonoſori, *& Deus cęli regnum & fortitudinem, & imperium & gloriam dedit tibi, & ſub ditione tua vniuerſa conſtituit, tu es ergo caput aureum.* Quibus ſignificatur potentia regni Nabuchodonoſoris maior quam aliorum regum, quæ futura erat omni gentibus, vt patet ex ipſo textu, cum hoc regnum ampliſſimum & cæteris anteponendum fuerit, quare auro comparatur. Secundum imperium Medorum & Perſarum minus, argento aſſimilatur. Tertium Macedonum & Græcorum quod æneum dicitur, quia inter omnia metalla æs clarius tinnit, cuius ſonitus longius & latius diffunditur, non tantum famam & regni potētiam, ſed & eloquentiam Græci ſermonis prænunciauit. Quartum ferreum Romanorum comminuens & conterens omnia ad modum ferri.

Quatuor mundi imperia, Chaldæorum Medorum & Perſarum Græcorũ & Romanorum, cur auro, argẽto ære & ferro comparẽtur.

HANC Hebræorum ſententiam reijcit Lyranus ex Paraphraſi Chaldaica, quæ tantæ eſt apud Iudæos authoritatis vt nullus eam negare audeat; quoties enim in Hebraicis codicibus eſt aliquid obſcurius ad Chaldaicam confugiunt paraphraſim.

Refutatur Primo.

Tran-

Tranſtulit autem Chaldæus hunc locum ſic. *Donec veniat Meſſias cuius eſt regnum.* Sed conſtat neque Saulem, neque Ieroboam, neque Nabuchodonoſorē Meſſiam fuiſſe vocatos in ſcriptura, ſed tātummodo illum propriè dici Meſſiam & Chriſtum qui promiſſus eſt in lege Prophetis & Pſalmis; tantumque abeſt vt Iudæi illorum aliquem Meſſiam vocent vt adhuc negent Meſſiam veniſſe.

SECVNDO ipſa ſententia ex ipſo textu refutatur *non auferetur ſceptrum, vel legiſlator, aut dux de interpedes eius.* quo loco conſtat Iacob non tantum loquutum fuiſſe de dignitate regia, ſed & de principatu & dominio. Nam quāuis ſceptrum & virgam interpreteris dignitatē regiam de qua plura ſæpius dicta, tamen vox hebræa מְחֹקֵק mehokek latius patet, ſignificat enim ex ſententia ipſorum Hebræorum legislatorem, ducem, præſidem, vt voluit Abenezra, vel Principem vt voluit Salomon Iarrhius. Vnde non ad ſolam regiam dignitatem poteſt hæc vox aſtringi & coarctari. Quare Chaldæus Paraphraſtes Deuteron cap. 33. in benedictione Gad, vbi in vulgato eſt *vidit principatum ſuum, quod in parte ſua doctor eſſet repoſitus.* Per doctorem qui in hebræo dicitur מְחֹקֵק mehokek, dixit *Moyſen*; explicans locum de ſepultura Moyſis. Vocat itaque Moyſen מְחֹקֵק mehokek, id eſt ſcribam & legiſlatorem magnum in Iſrael, quem conſtat non fuiſſe regem, ſed ducem tantum

rum populi, qualis poſt captiuitatem Babilonis fuit Zorobabel filius Salathielis filij Ieconiæ. Quapropter nō ſolum regiæ poteſtatis, ſed principatus quoque & dominij meminit Iacob, cū dixit *non auferetur ſceptrum de Iuda, & Scriba doctor, vel dux inter pedes eius*: quo ſignificauit nunquam definiturum principatum & dominium de domo Iuda, licet Regum ſucceſſio terminatura eſſet, *donec veniret Siloh*. Cum igitur poſt Nabuchodonoſorem principatus tribus Iuda permanſerit in Ieconia & Salathiele, & deinceps in Zorobabele quo tempore iam defunctus erat Nabuchodonoſor, immo & regnum eius traſlatum ad Medos & Perſas poſtquam regnaſſet annis 45. mortuo eius filio Euilmerodach, qui regnauit annis viginti tribus, eiuſque nepote Balthazare annis decem interfecto per Darium filium Hydaſpis Medum ſocerum Cyri qui annis duobus regnauit, & poſt hunc Cyrus eius gener, qui Perſis & Medis præfuit annis triginta, quo tempore Zorobabel de tribu Iuda dux fuit Hebræorum poſt reditum captiuitatis, vt docent Aggeus, Zacharias & Eſdras prophetæ. Ex quibus euidenter colligimus non eſſe ablatum ſceptrum, & principatum de tribu Iuda ductis in captiuitatem Iudæis, conſequenter neque Nabuchodonoſorem eſſe Siloh, id eſt illum qui mittendus erat, quod erat probandum.

Sceptrum Iuda nō eſt ablatum quando ducti ſunt in captiuitatē Babilonię

DEINDE ſi locus intelligatur non de Chriſto, ſed Nabochodonoſore qui à Iudæis negatur

turo eſſe Meſſias, cum illum adhuc venturũ expectent, quomodo verum erit quod initio capitis dixit Iacob: *Congregamini, vt annunciem vobis quæ ventura ſunt in nouiſſimis diebus.* Nam per *nouiſſimos dies* Iudæi conſtanter colligunt Meſſiæ aduentum, vt oſtendimus initio capitis. Non eſt autem locus in hęc capite, qui tam aperte ſpectet ad dies Meſſiæ, quàm hic, ſequitur ergo hæc referri ad dies Meſſiæ, non ad Nabuchodonoſorem, quem ipſi Iudæi negant fuiſſe Meſſiam in lege & prophetis promiſſum.

PRAETEREA *Siloh*, inquit Iacob, *Ipſe erit expectatio gentium*, vbi hebraicè eſt ולו velo, id eſt, illi, vel ad illum erit aggregatio populorum, quaſi diceret ad illum gentes confluent: Chaldæus dixit: *Et ei obedient populi.* Septuaginta, & vulgatus interpres: *Et ipſe erit expectatio gentium*, quibus ſignificatur gentes ſua ſponte venturas ad illum, non vi & coactè aggregandas: ſicut fecit Nabuchodonoſor, magnã enim partem gentium, quibus imperauit, vi & bellõ ſubegit, vt conſtat ex 1. Habacuc ver. 6. vbi deſcribens Propheta mores Chaldæorum, quorũ rex erat Nabuchodonoſor, & prænuncians futuram duarum tribuum captiuitatem ſub Nabuchodonoſore: *Suſcitabo, inquit, Chaldæos gentem amaram & velocem ambulantem ſuper latitudinem terræ, vt poſſideat tabernacula non ſua, horribilis, & terribilis eſt: ex ſemetipſa, iudicium & onus eius egredietur, leuiores pardis equi eius, & velociores lupis veſpertinis* & inferius: *volabunt*

Quarto.

bunt quaſi aquila feſtinans ad comedendum; om-
nes ad prædam venient, facies eorum ventus
vrens id eſt ventus Orientalis, Et rurſus. *Ipſe de*
regibus triumphabit &c. Et in fine capitis ſic cō-
cludit. *Propter hoc ergo expandet ſagenam ſuam,*
& ſemper interficere gentes non parcet. Ex qui-
bus perſpicuè deprehenditur verba illa *& ipſe*
erit expectatio gentium nullo modo accipi poſſe
de Nabuchodonoſore.

Vltimo. DENIQVE Iacob propoſuit totum hunc locum in laudem Iudæ filij eiuſque poſteritatis, vt patet ex præcedentibus. *Iuda te laudabunt fratres tui &c.* & ſequentibus, *non auferetur ſceptrum de* Iuda *& ipſe erit expectatio gentium.* Hoc ergo in laudem Iudæ cedere debet, ad quē futura erat Hebræorum aggregatio; at Habacuc non laudat, ſed acerrimè potius reprehendit Nabuchodonoſorem propter vim quam gentibus illaturus erat, quem impium vocat & pœnam à Deo illi inferendam prænūciat verſi. 11. *Tunc* inquit, *mutabitur ſpiritus, & pertranſibit, & corruet: hæc eſt fortitudo eius Dei ſui.* Quis enim Iudæorum tam inſaniet, vt quę hoc loco in ſummam laudē Iudę dicta ſunt, velit de Nabuchodonoſore intelligi, quaſi ſenſus eſſet verborū Iacob. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, do nec ueniat impius quidem idololatra, qui cladem maximam inferet Iudæ*, is erit Nabuchodonoſor. An hoc fuiſſet Iudam laudare, qui ob peccatum Iudęorum eſſet hoc aliquando in poſteritate ſua perpeſſurus? An proſpera pręnūciaſ-

ſet Iacob prophetans de poſteritatis Iudæ ruina & exilio. Si igitur ille verus ſenſus, & huic loco conſentaneus de Meſſia de tribu Iuda ventuto intelligi, qui futurus erat gentium expectatio; quia ad eum ſponte aggregandę erant gentes, cuius aduentu licet regnum temporale Iudæ deficeret, in ſpirituale tamen commutandum. Quod & Chaldæus eruditę expreſſit cū dixit, *donec veniat Meſſias cuius eſt regnum ſpirituale nimirum & æternum.*

SEPTIMA ſententia eſt, per *Siloh* ſignificari peccatum, & non transferendum eſſe ſceptrū niſi contra Dei voluntatem: quare ſi regibus Iuda ſucceſſerunt alij ex alia tribu fuit contra Dei beneplacitum. Vnde de Regibus Iſraeli, & de Machabæis exiſtimant intelligi hūc locum qui cum non eſſent de tribu Iuda regnarunt, & in pęnam peccati ceciderunt: Inſtitutum ergo Iacob fuit prænunciare non diſceſſurum à Iuda regnum (Machabæorum enim imperium non fuit regnum, ſed rebellio) & hac de cauſa caſtigati ſunt ab Antiocho Epiphane rege Syriæ, & à Romanis. Cōcludit itaque iſta ſententia vocabulum *Siloh* exponi præuaricationem & peccatū, ac ſi diceret Iacob. *Non auferetur ſceptrum de Iuda, donec veniat Siloh*, id eſt peccatum & præuaricatio, poſtquam ſcilicet receſſerit ſceptrum de Iuda.

Septima ſententia Siloh eſſe reges Iſrael & Machabæos q propter peccata populi regnarunt.

ISTA etiam ſententia cū ſua explicatione reijcitur. Primo, quia quando Iacob loquitur de duce futuro, extenditur vaticinium ad princi-

Refutatur Primo.

cipes Iuda, ante in captiuitate & poſt captiuitatem extiterunt. Secundò hæc ſententia ſtatuit reges ex alijs tribubus conſtitutos contra diuinam voluntatem & prophetiam Iacob, quod falſum eſt: Nam ſi loquatur de regibus Iſrael, qui fuerunt de tribu Ephraim, certum eſt illos Deo volente fuiſſe electos, vt patet ex 3. Regum cap. 11. verſic. 30. *Apprehendensque Ahias pallium ſuum nouum, quo coopertus erat, ſcidit in duodecim partes, & ait ad Ieroboam: Tolle tibi decem ſciſſuras, hæc enim dicit Dominus Deus Iſrael, ecce ego ſcindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus &c.* Idem teſtatur Diuus Auguſtinus lib. de vnitate Eccleſiæ cap. 13. Hoc autem ideo factum eſt, vt puniretur peccatum Salomonis. Errant etiam authores huius ſententiæ aſſerentes Machabeos ex Dei voluntate non fuiſſe conſtitutos in Principes, legittimi enim fuerunt regni ſucceſſores, ſiue ex paterno genere de tribu Iuda, ſiue ex materno, de quo paulo inferius: neque teſtimonium Oſeæ quod citant cap. 8. verſ. 4. fauet illis *Ipſi regnarunt, & non ex me, principes extiterunt, & non cognoui*: hoc, inquam teſtimonium non concludit, quia incertum eſt, an loquatur Propheta de Saulæ in Regem poſtulato à populo, quod Deo inuiſum erat. Vt exponunt Origenes hom. 5. in lib. Iudicum. Et D. Hieron. in Oſeam, an verò de decem tribubus quibus præfuerunt Reges Iſrael, vt D. Theodoretus D. Hieron. Ruffinus, Theophilactus &

Secundo

Reges Iſrael Dei voluntate electi fuerunt.

Machabæi legittimi fuere regni ſucceſſores

Reſpondetur ad teſtimoniū Oſeæ.

Explicatur locus Oſeæ.

Tyranus ſentiunt; & ita ſenſus erit, vel reges Iſraël non regnaſſe à Deo propter peccatum ſubſequens ſchiſmatis & hæreſeos Ieroboam, & ſucceſſorum eius: vel propter peccatum populi qui non interrogauit Dominum, ſicut debuit, an vellet hoc fieri, vt vult Diuus Hieronym. *Nec ſtatim; quia Deus Salomonis ... regnum eius diuidi voluit, idcirco Iſraël benè ſuſcepit Regem, debuerat enim iuxta leges præcepta interrogare Dominum, an vellet hoc fieri.* Sic Diuus Hieronymus. Fuit igitur peccatum illud decem tribuum, quia non conſuluerunt Dominum: Fuit quoque peccatum Ieroboam, & ſucceſſorum grande, ſchiſma ſcilicet & hæreſis, cum populum à vero Dei cultu abduxerint.

Quod fuit peccatum decem tribuum, & Ieroboā.

Tertiò hæc ſententia reijcitur, ex eo quod conſtituat שִׁילֹה Siloh ſignificare peccatum, quod nullus Hebræorum hactenus aſſeruit, & appellet Regnum Machabæorum peccatum, præuaricationem, & rebellionem, cum cōſtet ex libris Machabæorum à Deo regnaſſe, qui libri licet in Canone Hebræorum non reperiantur habent tamen illos ſacros Hebræi: Ioſephus enim Eleazari & ſeptem fratrum, & matris eorū Hannæ martyria inter ſacras Hebræorum literas haberi affirmat & lib. 17. antiquitatū ca. 8. & ſequētibus lib. 13. ſæpius proſequitur encomia Machabæorū illos laudans à robore, prudentia, virtute, fide conſtantia, & magnanimitate, quos re vera non laudaſſet ſi vi fuiſſent potiti regno.

Tertio.

Machabæorum libri licet in canone hebræorum non reperiātur, habent tamē illos pro ſacris.

Narrat etiam Abraham Leuita lib. de rebus Regum Iſrael ſecundi templi fortitudinem principum Machabæorum, quomodo contra Antiochum pro patris legibus præliarint, & Ioannis Hircani filij Simeonis qui aſcendens in Samariam diruit ſanctuarium, quod Samaritani in monte Garizim extruxerant ante annos ducentos, & hæreticos mactauit qui offerebant holocauſta, & ſacrificia extra domum Domini, quæ omnia cedunt in laudem, pietatem, & religionem principum Machabæorum.

Impia & falſa ſententia Herodianorum Herodem eſſe Meſſiam

EX HOC loco impiè & falsè collegerunt Herodiani Herodem Aſcalonitam fuiſſe Meſſiá, vt docent Tertulianus lib. de præſcriptionibus, cap. 45. D. Hieronymus contra Luciferianos, & in Matthæum D. Epiphanius in Panario, hæreſi 20, qui Hebræi non fuerunt, ſed Græci, vt vult Genebrardus lib. 2. Chronographiæ anno Chriſti tertio, ex ſententia verò Diui Epiphanij Iudæi vani & Hipocritæ, qui Hærodem dicebant eſſe Chriſtum in lege & prophetis promiſſum, quod videbantur ſibi probare ex hac prophetia, *Non deficiet Princeps de Iuda, neque dux de fæmore ipſius, donec veniat cui reſeruatur*, vel vt alia exemplaria habent, *donec venerit, cui reſtant quæ reſeruantur ipſi*. Ita exponebant hi vocem *Siloh*. Hic Herodes fuit filius Antipatri Palæſtini ex matre Idumea vt tradit Theod. lib. 1. Polymorph. qui Antipater captus eſt ab Idumæis, atque in Idumæa degens genuit Herodē ſub quo natus eſt Chriſtus, anno regni eius 33.

Herodiani qui fuerint.

Herodes quis fuerit.

Vnde aliqui vocant illum Idumæum, alij Aſcalonitam. Is procurator Iudææ conſtitutus fuit à Iulio Cæſare, deinde Tetrarcha, id eſt, rector & gubernator quartæ partis Iudææ ab Antonio triumuiro anno ſequenti quo Cicero eſt interfectus, & Brutus victus in Philippicis; Romã poſtea proficiſcens ab Octauio & Antonio rex Iudæę creatur. Ita Ioſephus lib. 14. antiquitatum cap. 18. & Euſebius Cæſarienſis lib. 1. cap. 16. quorum auxilio Hieroſolymam expugnauit quarto anno poſtquam rex fuiſſet declaratus annis triginta tribus ante Chriſti natiuitatem. Hic primus alienigena rex Iudæorum fuit, qui tranſtulit ſceptrum de domo Iuda (euidentiſſimum ſignum aduentus Meſſiæ) Matth. cap. 2. *Cum ergo natus eſſet Ieſus in Bethleem Iuda in diebus Herodis*, ac ſi dixiſſet Herodis alienigenæ Regis, cum ceſſaſſet iam ſceptrum Iudæ, & impleta eſſet prophetia Iacob de tempore quo venturus erat Chriſtus, vt notarunt D. Chryſoſt. & Theophilactus: & quia tunc primo trãſlatum regnum ad alienigenam, credibile viſum eſt Herodianis Herodem eſſe Chriſtum, quod probarunt ex his verbis *donec veniret cui reſeruatur*: *quia defecerant*, inquiunt, *omnes qui erant de familia Iudę, & Herodi qui neque erat de familia regia, imo neque de Iſraele reſeruatum eſt eſſe Chriſtum.*

Herodes primus alienigenarex Iudæorum.

HANC Hęreſim & ſententiam reijcit D. Epiphanius ex verbis quę in textu ſequuntur, *& ipſe erit expectatio gentium*, quę gens in Herode

Reijcitur error Herodianorum primo.

Digitized by Google

ſolũ ſpem habuit? Quomodo illa impleta fuit in Herode, *dormiuit vt leo & vt catulus leonis, quis excitabit illum?* vbi autem lauit Herodes *in ſanguine vuæ pallium ſuum, & in vino ſtolam ſuam;* ſicut Chriſtus Dominus corpus ſuum proprio reſperſit ſanguine? Ad hæc *Siloh* & Meſſias ſecundum ſcripturas oriturus erat ex tribu Iuda & ſtirpe Dauid. at Herodem probauimus eſſe alienigenam. Neque enim prænunciat Iacob futurum ſceptrum in Iuda quouſque alienigena regnet; ſed ipſo regnante, deficientibus principibus de Iuda tunc expectandum eſſe aduentum ipſius *Siloh* de eadem familia.

Secundo.

Vltima ſententia Siloh eſſe meſſiam.

POSTREMA ſententia eſt, *Siloh* eſſe verum Meſſiam in ſcripturis promiſſum. Probatur Primo ex ipſis Rabbinis in Bereſith Rabba, id eſt in expoſitione magna in Geneſim ſuper hæc verba *donec veniet Siloh* ſic habetur, *iſte eſt Meſſias, & ad eum congregabuntur gentes, quia ipſe iudicabit totum mundum*, vt dicitur Micheæ cap. 4. *Iudicabit inter populos multos, & corripiet gentes.* & Eſaiæ cap. 11. *Iudicabit in iuſtitia pauperes, & arguet in æquitate manſuetos terræ, & percutiet terram virga oris ſui, & ſpiritu labiorum ſuorum interficiet impium.* & in Echa Rabbati, id eſt, in expoſitione threnorum ſuper illa verba capitis primi *quia longè factus eſt à me conſulator conuertens animam meã*, dixit Rabbi Ioannam, *quod eſt nomen Meſſiæ.* Reſponſum eſt, *Siloh eſt nomen eius, ſicut dictum*

Probatur ex Rabbinis.

ſtum eſt, donec veniat Siloh, id eſt Meſſias. Chaldæus Paraphraſtes vertit hunc locum. *Donec veniat Meſſias, cuius eſt regnum:* quē ſenſum videntur expreſſiſſe ſeptuaginta, qui tranſtulerunt, *Donec veniant quæ repoſita ſunt ei,* vel ut eſt in alijs codicibus Græcis. *Donec veniat cui repoſitum eſt.* Quam lectionem ſequuti ſunt D. Ignatius D. Chryſoſt. Diuus Theodoret. D. Ambroſius. Diuus Hieronymus in benedictione Dan. & D. Leo Papa & ſenſus eſt Donec veniat, cui repoſitum eſt & paratum regnum, perenne ſcilicet & æternum. Si autem priorem ſequamur lectionem cum Euſebio lib. 8. de Demonſtratione Euangelica demonſtr. 1. repoſita ea ſunt quæ continet hoc oraculum, quod ſcilicet à fratribus eſſet laudandus Chriſtus, manus eius in ceruicibus inimicorum, & à filijs patris ſui adorandus. Quæ omnia repoſita erant quandiu principes & Iudices Hebræorum extiterunt, quibus ceſſantibus Chriſtus de genere Iuda in terris viſus eſt, & verè illa omnia completa ſunt quæ prius ipſi repoſita.

Expoſitio huius loci donec veniat qui mittēdus eſt.

QVOD attinet ad deriuationem vocis שילה *Siloh* varia eſt Hebræorum & Latinorum ſententia. Quidam ponunt diuiſim שיל ſil & ה ho, id eſt filius eius, vel שֶׁ ſe & לה lo, quaſi dicas Latinè, (quia eius) ſubaudi erit regnum. Alij deducunt hanc vocem à dictione שליה *Siloh* quæ ſignificat membranam qua obuoluitur

Deriuatio & etimologia nominis Siloh.

in

in materno vtero fœtus ipſumque ſequitur: aliter dicitur ſecundæ, quod ſecundet fœtum. Vnde Deuter. cap. 28. ver. 57. quod in vulgata editione eſt, *& illuuie ſecundinarum*, in Hebræo eſt ובשליתה vbſchiliathah, id eſt, & ſecundas ſuas: vbi Chaldæus Paraphraſtes, Rabbi Salomon, & Rabbi Dauid kimhi exponunt *filios paruulos*, ac ſi in ſecundis adhuc obuoluerentur, & tunc erit idem ſenſus שילה Siloh, id eſt filius eius Iudæ. Mercerus exiſtimat *Siloh* ſignificare per antonomaſiam fœtum illum inſignem Chriſtum ſcilicet, ſicut & in Prophetis Chriſtus frequẽter dicitur צמח tſemach, id eſt germen vel oriens. Alij deducunt Siloh à verbo שלה ſchalah, quod ſignificat pacificũ eſſe, vel à nomine ſchalua שלוה quod denotat pacem, fœlicitatem, abundantiam, & proſperitatem. Quare Vatablus exponit שילה *Siloh* fœlicitatem, id eſt Meſſiam, regem fœlicitatis, & authorem abundantiæ; omnem enim attulit hominibus ſpiritualium bonorum abundantiam, factus hominum cum Deo vera reconciliatio, quaſi hoc ſingulari Epitheto Iacob voluerit Chriſtum Saluatorem nobilitare; Alij hanc vocem deriuant à verbo שלח Salach, quod eſt mittere, cuius ſententiæ videtur fuiſſe vulgatus interpres, qui tranſtulit; *donec veniat qui mittendus eſt*, qua loquendi forma oſtenditur Meſſias, qui miſſus fuit à Patre, vt nos à morte liberaret. Galatinus pronomen affixum nomini שילה

 Siloh

Siloh ad ſacroſanctam virginem refert, ex qua Chriſtus ſine ope viri erat naſciturus. Vnde *Siloh* idem eſt, ac filius eius virginis. *Mercerus* in additionibus ad Pagninum arguit authorem hunc in Grammatica peccare pronomen maſculinum pro fœminino vſurpans; eſſet enim שִׁילֹה Silah ſi ad virginẽ referretur, non שִׁילֹה Siloh, ſed malè meo iudicio reprehendit; miror enim non animaduertiſſe Mercerum in ſacra pagina ſæpius articulum maſculinũm addi nomini fœminino, quando aliquid magni à ſexu fœminino factum eſt, vt deſignetur factum fuiſſe viri, non mulieris; econtra verò quando aliquid turpiter, & ſegniter à viro factum, quod non decet, ſolet addi nomini maſculino pronomen & affixum fœminini generis, ac ſi factum eſſet fœminæ, non viri: exempla poſterioris generis plura in ſacra pagina reperiuntur; prioris generis, præter duo memini me non legiſſe. Primum eſt Exod. 1. ver. 21. vbi refert ſcripturà, & laudat factum obſtetricũ Aegypti non occidẽtium maſculos Hebræorum in partu, vbi noſter interpres habet, *quia timuerunt obſtetrices Deum ædificauit illis domos.* In Hebræo eſt

כִּי יָרְאוּ הַמְיַלְּדוֹת אֶת־הָאֱלֹהִים וַיַּעַשׂ לָהֶם בָּתִּים

ki iareou hamialcdoth eth haeolim vaiaas lahẽ battin, hic p. eis ponitur לָהֶם lahem pronomẽ pluralis numeri ſecundæ perſonæ maſculini generis, & idem valet, ac ſi diceretur, fecit illis viris, לָהֶן lahen affixo ſecundæ perſonæ fœmini

Mercerus immeritò impugnat Galatinũ de vocis Siloh interpretatione.

Articulus maſculinus nomini fœminino ſæpe ſcript. additus quãdo aliquid magni a fœmina factũ eſt. econtra nomini maſculino articulus fœmininus quãdo aliquid turpiter a viro factũ eſt.

ni generis; ſenſus enim eſt, fecit illis mulieribus Deus domos, quia illum timuerunt; ſed quia factum erat virile & magnanimum, ſcilicet non obtemperare regi, qui occidi iuſſit omnes maſculos Hebræorum in partu; ideo dicuntur viri, & dicitur Deus illis viris feciſſe domos. Aliud ſimile reperitur lib. Ruth. cap. 1. verſic. 8. vbi commendatur miſericordia quæ facta fuit à Ruth & Hoz path maritis ſuis Chilion & Machlon Iudæis, vnde vbi noſter vertit. *Faciat vobiſcum Dominus miſericordiam, ſicut feciſtis cum mortuis, & mecũ*: in Hebręo eſt, יַעַשׂ יְהוָה עִמָּכֶם חֶסֶד כַּאֲשֶׁר עֲשִׂיתֶם עִם־הַמֵּתִים iaas adonai mimachem heſed cacher aſithem im hammetim; quæ reddi poſſunt ſic. *Faciat Dominus vobis viris miſericordiam, ſicut vos viri feciſtis cum mortuis.* Et tamen mulieres erant, ſed quia factum erat inſigne & plus quam virile mulieribus Moab ita diligere maritos Iudæos cum quibus ſemper erat bellum & contentio, ideo notantur in ſcriptura ac ſi viri eſſent & non mulieres; eſt enim contra naturam ſexus fœminei diligere inimicos & hoſtes patriæ. Ex quibus apparet, non male Gallatinum pronomen affixum maſculini generis ad ſacroſanctam virginem retuliſſe, cum quæ ab ipſa facta in hoc myſterio incarnationis Dominicæ ſuperent communem modum mulierum.

CAETERVM vt oſtenderet Iacob *Siloh* eſſe Meſſiam ſubdit, *& ipſe erit expectatio gentium*

tium quibus ſignificat Meſſiam non ſolis Iudæis ſalutem allaturum, ſed etiam gentibus, cum ſit gentium ſpes & expectatio. Nam inter præcipua Meſſiæ præconia, fuit gentium benedictio, quæ iam olim Abrahæ promiſſa fuerat. Gen. 22. *In ſemine tuo benedicentur, omnes gentes*; ſemen autem erat Chriſtus, vt exponit D. Paulus ad Galat. 3. De quo Eſaias cap. 57. *Legem eius inſulæ expectabunt, & in ipſo gentes ſperabunt.* Et Agæus cap. 2. *Et veniet deſiderium cunctarum gentium*, vt eſt in Hebiæo. וּבָאוּ חֶמְדַּת כָּל הַגּוֹיִם uabobu, chendath col haggoim, *vel deſideratus cunctis gentibus*; vt habet vulgatus, quod ſpiritu prophetico præuidens Dauid dixit Pſalm. 2. *Poſtula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Lege Euſebium lib. 8. demonſtrationum Euangelij demonſt. 1.

QVAESTIO V.

In quo inceperit Sceptrum Iudæ, & de eiuſdem vſque ad Meſſiam continuatione.

SVPPONIMVS ex dictis principatum & ſceptrum fuiſſe in tribu Iuda, & in ea permãſiſſe vſq; ad Meſſiam, quando autem illud ſumpſerit initium, & quo cõtinuatũ, difficilè

ficilè eſt oſtendere, cum ab initio non fuerit hic principatus in tribu Iuda, ſed ferè ſemper in alijs tribubus vt ſupra probatum eſt.

Prima ſententia ſceptrum non eſſe regnũ ſed excellẽtiã quãdã & prærogatiuã.

NONNVLLI Rabbinorũ, quos refert Rabbi Iſaac in hunc locum existimant non fuiſſe ſceptrum propriè regni, ſed excellentiam quandam, eminentiam & prærogatiuam cum Iudæ, tum poſterorum quæ primò in ipſo ſumpſit originem, & deinceps continuata in familia, vt patet ex his quæ ſupra dicta ſunt pro Euſebio Cæſarienſi. Sed hæc ſententia merito reijcitur, cum

Reijcitur primo.

iſta prærogatiua non rectè conueniat perſonę Iudæ; quinimo ex pluribus locis Geneſis oſtendi poteſt Ioſepho deferendam eſſe, qui à parentibus & omnibus fratribus adorãdus erat Gen. 37. Secundò, quia Gen. 47. princeps extitit totius Aegypti. Tertiò, Diuinitus edoctus ſomnia Pharaonis interpretatus eſt. Denique cunctis fratribus ſapientior.

Secundo. Tertio. Quarto.

Sententia cõmunis probatur primo.

COMMVNIS itaque ſententia eſt, ſceptrũ in Dauide primo Rege Iudę initium ſumpſiſſe. Hoc probatur ex ſupradictis & præcipuè cum oſtendimus ſceptrum principatum & imperiũ denotari in poſteris Iudę, quod deinceps continuatum eſt in regibus eiuſdem familię ſine interruptione, vſque ad Sedechiam. Quomodo autem poſt hunc tempore captiuitatis Babilonicę vno tenore ſceptrum hoc & principatus continuatus fuerit, difficilę eſt oſtendere, cum viri doctiſſimi & in ſacra pagina exercitatiſſimi non verean tur affirmare interruptum fuiſſe eo

ro tempore captiuitatis, approbante ſcriptura Ieremię ca. 22. ver. 30. de Iechonia, (qui regnauit ante Sedechiam vltimum Regem Iuda) ſic loquitur, *Scribe virum iſtum ſterilem, virum qui in diebus ſuis non proſperabitur, nec enim de ſemine eius erit vir, qui ſedeat ſuper Solium Dauid, & poteſtatem habeat vltra in Iudam*. Quibus verbis oſtendit Propheta nullum futurum de ſemine Iechoniæ, qui poſt ipſum teneat ſceptrũ regium, nam tertio menſe regni in captiuitatẽ ductus fuit 4. Reg. 24. & 2. Paralip. capit. 36. Cui ſucceſſit Sedechias Rex patruus eius, qui anno vndecimo regni veniente Nabuchodonoſore Hieruſalem, capta ciuitate fugiens apprehenſus ab exercitu Chaldęorum ductus eſt ad Nabuchodonoſorẽ, quo pręſente filij occidũtur, ſibi oculi effodiuntur, vinctuſque catenis ducitur Babilonẽ 4. Reg. cap. 25. & Ieremię cap. 39. cum itaque conſtet Sedechię filios omnes necatos, & Iechonię ſemen nõ remanſiſſe, neq; fuiſſe qui ſederet ſuper ſolium Dauid, & poteſtatem haberet vltra in Iuda, ſicut ſcripſit Ieremias, videtur omnino ſceptrum domus Iudę tempore captiuitatis interruptum. Augetur etiam difficultas, quia Matth. capit. 1. deducens genealogiã regum Iuda, *Ioſias*, inquit, *genuit Iechoniam, & fratres eius in tranſmigratione Babilonis, & poſt tranſmigrationem Iechonias genuit Salathiel, Salathiel autem genuit Zorobabel*; quaſi diceret Ioſias genuit Iechoniam, qui alio nomine Ioakim (ſcribitur enim per K, & m vt notauit

D.Hieron.ſuper caput primum Danielis. & cap. 1. Matth.) imminente captiuitate Babilonica; nam Ioakim filius Ioſiæ anno vndecimo regni ſui captus eſt, & ductus in Babilonem vinctus catenis 2.Paralip.cap.36. Et poſt tranſmigrationem Babilonis Iechonias genuit Salathielem, Malchiram, Pedaiam, & Gemariam, Iechonias non eſt iſte qui dicitur genitus à Ioſia in tranſmigratione Babilonis, id eſt imminente tranſmigratione, ſed eſt Iechoniæ alterius filius (qui etiam dicitur Ioachin; & ſcribitur per ch & n) nepos ſcilicet Ioſiæ; nam filius Ioſiæ ductus eſt Babilonem, & priuſquam ad vrbem veniret in campo Babilonis vndecimo regni moritur, & caret honore ſepulturæ obiectus beſtijs: cuius filius ſubrogatus, qui tribus tantum menſibus regnauit, & decimo octauo anno ætatis ductus in Babilonem cum matre & vxoribus. Hic autem dicitur genuiſſe Salathielem ex D. Matth. at non poteſt oſtendi Iechoniam patrem Salathielis regem fuiſſe aut principem in captiuitate, neque Salathielem eius filium, & eorum poſteros ſceptrum aut principatum vllum in captiuitate habuiſſe, veruſus eſt indicare Ieremias loco citato *ſcribe virum iſtum ſterilem*: nã cum eſſent Hebrei in captiuitate, exiſtentes ſub Nabuchodonoſore & Euilmerodac eius filio, & Baltazare nepote, nullus principatus his conceſſus eſt, vix quidem vti patrijs ritibus & legibus.

HAEC ratio tanti ponderis facit Iulio Africano

cano hiſtoriographo antiquiſſimo, vt negaret Suſannæ hiſtoriam quæ eſt apud Daniel cap. decimotertio, quia in illa habetur mentio Seniorum qui iudicabant populum Hebræum; verſic.5. *Et conſtituti ſunt de populo duo ſenes Iudices in illo anno, de quibus locutus eſt Dominus, quia egreſſa eſt iniquitas de Babilone à ſenioribus Iudicibus, qui videbantur regere populum.* Quaſi nullo vnquam tempore Iudæis licuerit in Babilone captiuis, iudices de gente ſua habere, & iudicia in terra extera exercere. Antonius Zadiel Lutheranus apud Turianum in defenſione locorũ ſcripturæ, ita obijciebat de ſceptro Iudæ in captiuitate Babilonica *Age, nunc inquit, Turiane oſtende nobis ſceptrum Iudæ viſibile, conſpicuum, & continua illuſtrique ſucceſſione vigens in captiuitate Babilonica, tunc cum omnes Iudæi tyrannico illo iugo premerentur,* Adhæc D. Auguſtinus qui plus multò Hebræis tribuit in captiuitate detentis lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 45. docet Iudæos ante templi reſtaurationem non Reges ſed Duces, & principes habuiſſe; ex cuius ſententia nulli fuerunt apud hos reges, neque vllum ſceptrum, cùm in captiuitate corona aut ſceptro regis nõ vterentur. Deniq; Genebrardus in commentarijs ad Pſal. 105. ver. 35. ſribit non feciſſe irritam promiſſionem factam Dauidi de perennitate ſceptri in ſua familia: inter regnũ Babilonicæ captiuitatis per annos ſeptuaginta, *breues enim interruptiones dum reparantur, non eneruant,* inquit,

ra, cum dicatur Dominus deſcendiſſe ad Zanedrim, id eſt collegia ſapientum, non tantum ad ſapientes, nam Zanedrim & locum conſilij & ipſos iudices ſignificat. Si autem in Babilone captiui habuerunt Zanedrim, multo magis Hieroſolymis ante & poſt ſolutam captiuitatem.

DEINDE cum prima captiuitas Babilonis inceperit anno primo Nabuchodonoſoris, & anno quarto Regis Ioakim, quo tempore ducti ſunt captiui Daniel propheta, & eius ſocij Ananias, Azarias & Miſael, qui erant de familia regia & conſequenter de domo Dauid, & anno decimonono eiuſdem Nabuchodonoſoris, quo accidit vrbis ſanctæ & templi deſtructio, qui annus vndecimus fuit Sedechiæ Regis, iā Daniel & ſocij eius in magno erant honore, cum Deus multa miracula p illos operatus fuiſſet, ſiue quia ſomnia & viſiones Nabuchodonoſoris expoſuerat Daniel; ſiue quia eius ſocij tres miſſi in fornacem ignis viſi ſunt ibidem à rege deambulare illæſi, habentes quartum ſociū ſimilem filio Dei; Daniel 3. ergo Deū Iſraelis venerabatur aliquo modo Nabuchodonoſor, & in honorem habebat propter miracula; vnde nō eſt mirum ſi permiſit iudicia fieri à Iudæis per ſapientes ſuos Zanedrim. Quod autem ante deſtructionem ciuitatis Iudices populi fuerint Zanedrim nulla indiget probatione cum eo tempore Regem haberent Sedechiam, & ſummum Pontificem Saraiam 4. Reg. cap. 25. verſi. 18. qui à Nabuchodonoſore interfectus eſt; cui deinde ſucceſſit Ioſe-

Daniel quo tēpore ductus in captiuitatem.

In magno honore fuit Daniel apud Chaldeos, eiuſque ſocij.

Nabuchodonoſor Deū verū coluit & quare.

dech frater Eſdræ,& pater Ioſuæ Pōtificis, qui cūm Zorobabele principe Iudæ populum eduxit è Babilone vt tradunt Hebræi ex 1. Paralip. cap.6.& 1.Eſdræ cap.7.

Daniel in ſūmo honore apud Reges Perſarum.

TERTIO sprobatur hæc ſententia, ex eo quod Daniel in honore maximo fuerit apud Darium & Cyrum reges Perſarū. Vixit autem Daniel vſque ad annum ſeptimū Cyri D. Hieronymo teſte initio commentariorum in cap. 10. Danielis. Nam anno 15. ætatis ſuæ ductus eſt Babilonem anno tertio Ioakim: & per integros ſeptuaginta annos ibi māſit ſub Nabuchodonoſore annis 37 & ſub Builmerodach. annis 23. ſub Baltazare annis 10. poſtea ſub Dario annis duobus,& ſub Cyro annis ſex, quo tempore in ſumma dignitate fuit purpura & biſſo veſtitus ſuper regni ſatrapas vnus ex tribus principibus cōſtitutus Dan.c.6. Cyrus aūt agnouit Deū Iſraelis 1.Eſd.c.1. *Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus Cęli, & ipſe præcepit mihi vt adificarem ei domum in Hieruſalem quæ eſt in Iudęa.*

Daniel quot annis vixit.

Cyrus Rex Perſarum Deū agnouit.

DENIQVE ex cap.13. Danielis colligimus in captiuitate Iudices fuiſſe inter Hebræos ex hiſtoria Suſannæ, quo tempore adhuc Daniel iuuenis fuit,vt ibidem tradit ſcriptura. Vnde in Biblijs Græcis hiſtoria hæc non conſtituit cap. 13. ſed caput 1. omniumq; conſenſu contigit factū iſtud in principio captiuitatis. Dubitatur autem an author huius hiſtoriæ fuerit Daniel Propheta de ſemine regio, qui author eſt duodecim præcedentium capitū, vt eſt communis opinio,

Author prophetię Danielis quis.

an

an alius eiuſdem nominis de tribu Leui, vt exiſtimant ſeptuaginta interpretes initio huius hiſtoriæ,& D. Hieron. in eundem prophetam. Eo ito itaque tempore captiuitatis fuiſſe Zanedrim, & Iudices inter Hebræos conſtat.

RESTAT nunc oſtendamus eodem tempore principes extitiſſe de Iuda vſq; ad Machabęorum tempora in quibus conſeruata ſit perpetuitas ſceptri. De Sedechia vltimo Rege Iuda nullũ ſuperſtitẽ fuiſſe filiũ manifeſtũ eſt 4. Reg. ca. 25. cum omnes occiſi à Nabuchodonoſore fuerint: vnde deficiente ſemine, de poſteritate Sedechiæ, recurrendũ eſt ad Iechoniã penultimũ Regẽ Iuda, qui miſſus Babilonem, detẽtus in vinculis & carcere per anno 37. genuit Salathielẽ 1. Paral. c. 3. hic vero Zorobabelẽ, Haggęi. c. 1. Matt. c. 10. Qui tres in captiuitate fuerũt abſq; poteſtate regia q; dignitate. Et tũc cõpletũ eſt vaticiniũ Ieremię c. 22. Iechoniã non habiturũ virũ de ſemine eius q. ſederet ſuper ſoliũ Dauidis: Hoc tñ nõ impedit, quin tribus Iuda in captiuitate, & ſoluta ea principes ſemp habuerit, neq; id potuit impedire aduerſa fortuna populi Hebraici. Exẽplo rẽ declarat Turianus: ſicut enim hodie regnũ tyrannicum Turcarum non prohibet quo minus ſacerdotes Chriſtiani ibi degentes honorẽ ſuũ retineant, licet propter anguſtias temporũ paruum, & prope nullum nitorem habeant; ſic tempore captiuitatis Babilonicæ principes captiui erant ſub poteſtate Regum Babilaniorum, principatum tamen nunquam amiſerunt.

Sed longè aliter loquendum eſt de principibus Iudæ in captiuitate & ſacerdotibus Chriſtianis apud Turcas, illi enim multò liberius vixerũt ſub Babilonijs, quam hodie Chriſtiani ſub tyranide Turcarum; nam ipſi de gente ſua princi pes habuerunt vt ſupra oſtentum eſt, qui Babyloniorum Regum munificentia Deo ſic diſponente ad ſolatium populi ob merita Sancto rum Prophetarum ibidem detentorum, populo captiuo imperarunt.

IUVAT hanc ſententiam ſtatus Hebræorũ ibi degentium, qui inter alias vrbem ad ripam Euphratis ædificarunt nomine Nearda, ideſt, fluuium ſcientiæ; in qua florentiſſima fuerunt literarum ſtudia, frequentia populi, & terræ fertilitas, vt teſtatur Ioſephus lib. 18. antiquitatum cap. 12. Non ſolent autem florere literarum ſtudia apud captiuos oppreſſos. Eodem ſpectat, quod Hebræi ſeorſim habitauerint à Babylonijs Pſal. 136. *Super flumina Babylonis illic ſedimus, & fleuimus dum recordaremur tui Sion, in ſalicibus in medio eius ſuſpendimus organa noſtra*; data enim erant Hebræis inculta iuxta Euphratem. Eſt autem plus quàm probabile Hebræos ibi degentes ſeparatim à Babylonijs ſuos habuiſſe principes, rectores, & gubernatores. Quàm liberè autem hic populus alioqui captiuus viueret, ſatis ſuperque teſtantur collegia Iudicum Zanedrim, quæ nunquam illis defuerũt; teſtantur & ſenes iudices qui Suſannam iniquè condemnarunt.

Apud hebræos captiuos floruerũt ſtudia.

Nearda vrbs ab hebræis ad ripã Euphratis extructa tẽpore capti uitatis florẽtiſſima.

QVEM-

QVEMADMODVM ergo Hebræi Iudices ſuos liberè habuerunt, ſic & principes qui numeroſum populum captiuum gubernarunt: qui etſi ſub poteſtate erant, liberè tamen in ſuam gẽtem poteſtatem exercuerunt. Ita Iacob prophetice cognouit non auferendum ſceptrum de Iuda, vel vt tranſtulerunt ſeptuaginta, *Non auferendum principem, neque ducem de fæmoribus Iuda.* Quamuis enim principatus hic in captiuitate non habuerit illum ſplendorem quem prius habebat in Paleſtina, non tamen propterea interruptus eſt: ex quo eruditè Turianus Zadielem redarguit qui principatum Iuda interruptum eſſe dicebat, eo quod nullum ſplendorẽ in captiuitate habuiſſet, quod perinde eſt ac ſi dixiſſet, non fuiſſe principem Iuda in captiuitate, quia non ſic vel non talis id eſt non ſplendidus fuerit; nam confundit ſubſtantiam, principatum ſcilicet & eius qualitatem, quaſi principatus ſitus eſſet in ſplendore externo & pompa, qualem prius habuit in Paleſtina: Quare licet hic decor diminutus, nunquam tamen vel defecit, vel interruptus eſt principatus. Qui autem fuerint principes populi in captiuitate, & poſt captiuitatem ſupra oſtendimus refutantes Euſebij ſententiam.

NOTANDVM tamen cum Ioſepho lib. 11. antiquitatum, à reditu Babyloniæ vſque ad Machabæos rempublicam adminiſtratam fuiſſe Ariſtocraticè: ſumma enim poteſtas penes Pontifices erat, duces autem & Principes de domo

Reſpublica hebræorum vſque ad Machabæos a captiui ate adminiſtrata Ariſtocratice.

Dauid magis viguerunt in captiuitate Babyloni ca quàm in Iudæa, hic enim adminiſtrabant, quaſi prætores miſſi à regibus Perſarum, vt patet ex 5. Nehemiæ ver. 14. & 15.

Quæſtio quo dicatur Iechonias a Ieremia Propheta ſterilis, cũ alibi orto dicatur habere filios.

QVAERES quomodo ſtare poſſit prophetia Ieremiæ citata cap. 22. vbi Iechonias dicitur vir ſterilis, & tamen 1. Paralip. cap. 3. ver. 18. numerantur octo eius filij Aſir Salathiel, Melchiram, Phadaia, Semneſer, Iecemia, Sama, & Nadabia. Præterea Ageæ cap. 1. & 2. lib. 1. Eſdræ cap. 3. Salathiel vocatur filius Iechoniæ. Deinde ſi ſterilis eſt Iechonias, quomodo inquit Diuus Hieronymus in locum citatum Ieremiæ Dominum & Saluatorem noſtrum natũ eſſe de ſemine eius?

Iechonias quo dicatur ſterilis.

RESPONDEO ideo dictum eſſe Iechoniam ſterilem, non quod nullos habuerit filios, ſed quia ex his nullus regnauerit aut regio ſceptro vſus fuerit in Babylone, ac proinde fuiſſet ac ſi eſſet ſterilis, quia nullum habuit filium regni ſucceſſorem, non tamen propterea tollebatur ſucceſſio principatus Iudæ; Iacob autem de ſceptro principatus & imperij loquutus eſt, non de ſceptro regni.

ALITER reſpondit D. Hieron. Non ſedebit quidem ex Iechonia ſuper ſolium Dauid homo, ſed Deus, ſicut ſcriptum eſt Lucę 1. *Regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.*

Quomodo potuerit Iechonias in captiuitate filios procreare.

QVAERES ſecundò quo potuerit Iechonias in captiuitatẽ ductus filios procreare, cũ in carcere

cere manſerit annis 37. vt habetur 4. Reg. 25.

RESPONDEO Iechoniã è carcere liberatũ ab Euilmerodach Nabuchodonoſoris filio ſtatim poſt mortẽ patris, qui *illũ regio habitu induit & poſuit thronũ eius ſuper thronũ Regũ qui erant cum eo in Babilone, & cũ eo comedebat cunctis diebus vitæ ſuæ anno nam quoque cõſtituit ei ſine intermiſſione, quæ & dabitur ei à Rege per ſingulos dies* 4. Reg. c. 25. ver. 28. 29. et 30. quo tẽpore filios genuit, qui à Ieremia c. 22. ver. 28. dicũtur *proiecti in terram, quam ignorauerunt*, quia in captiuitate ſunt nati: proiecto. n. Iechonia eorũ patre, et filij nondũ nati proiecti dicũtur. Habuit aũt Iechonias vxores 4. Reg. c. 25. ver. 15. nullũ tñ filiũ: nã ſi habuiſſet, Nabuchodonoſor non cõſtituiſſet patruũ eius Sedechiã Regẽ, ſed vnũ ex filijs.

EX his quæ dicta ſunt refellitur ſententia Caietani aſſerẽtis ablatum quidem fuiſſe principatum à Iuda nõ tamen penitus ammotũ: remãſit ſiquidem ſemper certitudo naſcituri Meſſiæ de tribu Iuda. Vnde in hac prophetia declaratur differentia principatus Iudæ, & reliquarum tribuũ, qđ in his poterat principatus totaliter auferri ita vt in ęternũ nõ rediret: in tribu verò Iuda licet deficeret ad tẽpus, non tamẽ penitus auferendus, ſed certiſſima expectatione rediturus vſq; ad Meſſiã, quo nato firmaretur in ęternũ. Refutatur ſententia Caietãi aſſerens ablatam fuiſſe principatum a Iuda, nõ tamen penitus amotum.

SED hæc Caietani ſententia reijcitur primò ex cõtinuatione principatus Iudaici; Secũdò, qa ex hoc loco ſumunt patres efficaciſſimũ argumẽtum ad conuincendam Iudæorũ perfidiã, quod Primo. Secundo.

certè

certè inefficax eſſet & infirmum, ſi ſceptrum Iuda ad tẽpus deficeret manente certitudine de recuperatione ipſius in aduentu Meſſiæ: Iudæi n. facile effugerent ſanctorum patrum argumentationem. Nam etiamſi ſceptrum ſublatũ fuiſſet ab annis plus mille ſexcentis, reſpondere poſſent defeciſſe cum ſpe & certitudine iterum recuperandi in Meſſiæ aduentu, quem adhuc expectant. Tertiò hæc ſententia videtur fauere Hebræis contra quos ſupra diſputauimus, quia aſſerebant tempore Meſſiæ non modo eſſe auferendum ſceptrum Iudæ, quinimmo tunc magis eſſe ſtabiliendum. Denique lapſus eſt Caietanus, dum ſceptrum Iuda per Meſſiam aſſerit in æternum eſſe cõtinuandum: Iacob enim nõ eſt locutus niſi de principatu Iuda viſibili, terreno & temporali, hic autem principatus temporalis commutandus erat in regnum Chriſti ſpirituale & æternum.

Tertio.

Vltimo.

Principatus Iudæ viſibilis cõmutandus in regnũ Chriſti ſpirituale, & æternũ.

SVPEREST oſtendere principatus Iudæ ſeriem & continuationem à tempore Machabæorum vſque ad Chriſtum, quam promiſit Dominus per Ieremiam cap. 33. verſi. 17. vbi poſtquã de Chriſto germine Dauid prophetaſſet, adiecit: *Hæc dicit Dominus, non interibit de Dauid vir qui ſedeat ſuper thronum domus Iſrael, & de ſacerdotibus, & de leuitis non interibit vir à facie mea qui offerat holocauſtomata, & incendat ſacrificium, & cædat victimas omnibus diebus.* Quẽ locum etſi quidam interpretentur de ſacerdotibus & oblationibus ſpiritualibus in Chriſti regno

gno, quod æternum erit; non tamen negari poteſt agi etiam de ſacerdotibus & oblationibus veteris legis, quæ figuræ erant futurarum ſub lege gratiæ. Loquitur enim propheta de principibus poſt captiuitatem; qui licet ſecundũ Theodoretum fuerint ſacerdotes vſque ad Herodem; quod veriſſimum eſt: ipſos etiam fuiſſe principes populi eſt certiſſimum, in quibus viſibilis principatus Iudæ ſucceſſio fuit continuata.

QVAERES qui potuit fieri vt põtifices principes fuerint de domo Iuda?

RESPONDEMVS tribum Leui Machabeorum tempore matrimonia iunxiſſe cum tribu Iuda; ſicut multis antè annis Aaron Pontifex duxit in vxorem Eliſabet filiam Aminadab ſororem Nahaſon de tribu Iuda Exod. capit. 6. Matth. cap. 1. Ex qua quatuor habuit filios Nadab, Abiu, Eleazar, & Thamar, qui à Moyſe conſecrati ſunt ſacerdotes iuſſu Dei. Exod. 28. Vnde colligimus poſteros Aaron materno genere deſcendiſſe de tribu Iuda, & Moyſis tempore coniunctas fuiſſe matrimonio has duas tribus regiã & ſacerdotalem; tempore etiam Regum id fuiſſe obſeruatum conſtat; nam Ioſabeth filia Ioram Regis Iuda Soror Ochoſiæ Regis fuit vxor Ioiadæ Põtificis 2. Paralip. cap. 22. ver. 11. Idem etiam extremis temporibus principatus Iudę ſactitatum eſt Nam Eliſabeth vxor Zachariæ ſacerdotis de vice Abia cognata erat Beatæ Mariæ Virginis. Luc. 1. verſic. 36. Erat autem Eliſabet de filiabus Aaron, beata Maria verò

Pontifices quõ potuerint fieri principes Iudæ.

Aaron Põtifex duxit in vxorẽ Eliſabeth de tribu Iuda.

Tribus Regia cũ leuitico matrimonio iũcta tẽpore Moyſis, tẽpore Regum, extremis tẽporib.

de

de tribu Iuda.

Obiectio. DICES nihil probari hac ratione; non enim ſequitur ſi aliquando tribus Iuda & leui in matrimonium iunctæ id ſemper in more fuiſſe. Nam fortaſſe tempore Machabæorum non miſcebantur hæ tribus.

Solutio. RESPONDEMVS ſaltem certum eſſe ex his quæ diximus de Aarone Pontifice & Eliſabeth eius vxore filia Aminadab, poſteros Aaronis materno genere ortum duxiſſe de tribu Iuda. Deinde vt noſtra ratio inefficax reddatur, oportet oſtēdere Machabæorum tempore, iſta matrimonia non fuiſſe obſeruata. Tertio ſi tēpore Moyſis, regnantibus Regibus Iuda, & poſtremis temporibus in fine legis hæc matrimonia viguerint; quare non tempore intermedio Machabæorum. Ex quibus cōſtat has tribus miſcuiſſe matrimonia, quod factum eſt Deo ita diſponente, vt aſſerit Theophanes in Symphonia veteris teſtamenti & noui contra Iudæos, vt ſicut tribus Ioſeph in duas diuiſa Ephraim & Manaſſæ quæ non miſcebant matrimonia, ſic vnirentur tribus leui & Iuda in vnam, vt ſemper extarent duodecim tribus, ſicut fuerunt duodecim principes tribuum: factum etiam hoc eſſe aſſerit, quia cum omnes res Hebræorum figuræ fuerint œconomiæ, & incarnationis Chriſti, etiam & hæc vnio tribuum, quæ fuit ſymbolum & typus regni & ſacerdotij in Chriſto copulati & cōiuncti, ſicut Melchiſedec rex & ſacerdos ex D. Paulo ad Hebræos c. 7. Fuit aūt principatus

Tribus regia cū ſacerdotali cur miſcuerint matrimonia.

Vnio hæc duarū tribuum typus & ſymbolum ſacerdotij & regni Chriſti.

tus

tus cõtinuatus in Machabęus vſq; ad aduẽtum Chriſti,quo tẽpore Herodes Aſcalonita alienigena primo regno potitus eſt. & põtificatũ cõtulit cuidã Ananeli Babylonio vt ſcribit Ioſephus lib.15. Antiquitatũ c.2.& Euſebius Cæſarienſis in Chron. à quo tempore defecit ſceptrũ Iuda, & principatus de domo Dauid. Quis autẽ fuerit ordo,& ſeries Machabæorum vſque ad Herodem ſupra oſtendimus.

QVAESTIO POSTREMA.

An Machabæi fuerint de tribu Iuda, vel tribu Leui.

EXISTIT hoc loco quęſtio grauiſſima & difficilis de Machabęis, *fuerint ne de tribu Iuda ex patre, & ex genere materno de tribu Leui an contra?* Nã ſi ex patre fuerint de tribu Leui non videtur cõtinuatus principatus Iuda, ſed translatus ad tribum ſacerdotalem.

Prima ſententia Machabæos fuiſſe ex materno genere de tribu Iuda.

MVLTI exiſtimant continuatum fuiſſe ſceptrum Iudæ, quia ex materno genere fuerũt de tribu regia,& ex Patre de tribu ſacerdotali. Ita D. Hieron. in Ezechiel cap.22. Lyranus, Toſtatus, Cardinalis Baronius tom.1. Annalium in apparatibus,& plerique recentiorum.

ALII verò vt D. Cyrillus Alexandrinus initio libri octaui in Iulianum. Et Genebrardus in

in

Digitized by Google

Secunda ſententia Machabæos de tribu Iuda ex paterno genere. Primo.

in Chronographia anno mundi 3922. exiſtimant genere paterno fuiſſe de tribu Regia, & materno de tribu ſacerdotali, quæ eſt probabilior ſententia, & maximè accommodata genuinæ explicationi huius oraculi.

PROBATVR primò cum Genebrardo ex ſcriptura, 1. Machabæorum cap. 5. verſi. 62. vbi ſic loquitur de Iudæis quibuſdam, qui audacter nimis & temerè innito cũ hoſtibus prælio in conflictu ceciderant: *Ili autem non erant de ſemine virorum illorum per quos ſalus facta eſt in Iſrael. & viri Iuda magnificati ſunt valde in cõſpectu omnis Iſrael & omnium gentium, ubi audiebatur nomen illorum.* Quo loco viri Iudæ ſignificant poſteros Iudæ, ſcilicet Iudam Machabæum & fratres eius. Hoc argumentum infirmũ putat Pererius. Num. 78. non enim probat Machabæos ex paterno genere de tribu Iuda, cum viri Iuda dicantur, qui ſequebantur ducem belli Iudam Machabæum, milites ſcilicet qui propter egregia ab ipſis patrata facinora apud omnes magnificati ſunt. Nihilominus ſi textum ipſum penitius intueamur, inueniemus Iudam & fratres eius appellatos eſſe viros Iuda: refert enim ſcriptura Iuda & Ionatha exiſtentibus in Galaad, & Simeone eorum fratre in Galilea, Ioſephum Zacariæ filium & Aſariam principes, quos reliquerat Iudas Machabæus in cuſtodiam Iudææ, videntes res benè geſtas & prælia quæ facta ſunt à Iuda & fratribus eius, voluiſſe pugnare aduerſus gentes quæ in circuitu erant, ſed pri-

Pererius infirmum putat hoc argumentum. Ratio. Viri Iuda qui dicantur.

primũ fugati ſunt vſq;ad fines Iudææ,deinde interfecti, & ceciderunt illo die de populo Iſrael duo millia,& facta eſt plaga magna in populo, quia non audierunt Iudam & fratres eius exiſtimantes fortiter ſe facturos. Quod cum retuliſſet ſcriptura,immediatè ſubdit. *Hi autem non erant de ſemine illorum virorum, per quos ſalus facta eſt in Iſrael,& viri Iuda magnificati ſunt valdè in conſpectu omnis Iſrael,& gentium omnium, vbi audiebatur nomen illorum.* Quod verò Ioſephus & Aſarias fuerint de genere ſacerdotali,& proinde non de ſemine virorũ per quos ſalus facta eſt in Iſrael,id eſt de tribu Iuda ſaltẽ de genere paterno; probatur ex ijs quæ ſequuntur ver.67. vbi dicit ſcriptura *quoſdam ſacerdotes cecidiſſe in bello, quia ſine conſilio exierunt in prælium.* Sacerdotes autem hi ſunt Ioſeph & Azarias ex communi interpretum mente,& colligere licet ſi quis præcedentia cum ſubſequentibus conferat. Tres enim aſſignãtur cauſæ propter quas fugati & interfecti ſunt, primo quia cõtra conſilium Iudæ principis exierunt in prælium. Secunda quia ex inani gloria non ob zelum religionis contra hoſtes profecti ſunt,dixerunt enim, *faciamus & ipſi nobis nomen.* Tertia, quia non erant de ſemine Matathiæ, per cuius filios Deus præordinauit populo ſuo dare victoriam: ergo Machabæi non erant de genere ſacerdotali per patres,ſicut Ioſephus & Azarias.

SECVNDO probatur hæc noſtra ſententia ex D.Cyrillo Alexandrino lib.8. in Iulianũ, **Secũdo.**

cui

cui obijciebat Iulianus ſceptrum Iudæ & donum Dauidis defeciſſe in Sedechia Rege, quem refellit D. Cyrillus probando in ipſa captiuitate, & poſt reditum habuiſſe Iudæos principatum, qui erat penes Zorobabelem filium Salathielis de tribu Iuda, & in eius poſteris vſque ad Herodem, qui ex matre fuit Iudæus, ex patre verò alienigena, quo tempore natus eſt Meſſias. Quibus verbis Cyrillus clariſſimè oſtendit Machabæos ex patre fuiſſe de domo Dauid & tribu Iuda, ipſoſque principes Hebræorum.

Tertio. TERTIO probatur rationibus primò, quia Matathias & Iudas primi principes Machabæorum non fuerunt ſummi ſacerdotes ſed populi duces, qui ipſum afflictum tyrannide, & perſecutionibus liberarunt. Nam ſacerdotium ſummum primum translatum eſt in Ionathā fratrē Iuda ad Machabæorum familiam lib. 1. Machab. capit. 9. Secundò quia videtur ſupponere contraria ſententia, fuiſſe de poſteritate Iudæ filios qui principatum tenerent, & ideo ſacerdotibus Machabæis delatum fuiſſe: alioqui ſi non defuiſſent, malè vſurpaſſent Machabæi principatum extantibus filijs maſculis de familia Iudæ: ſed non eſt veriſimile omnes maſculos de tribu regia defeciſſe, & per familias continuatum ſceptrum copulato matrimonio cum Machabæis leuitis.

Sacerdotiū ſummum primo trāslatum eſt in Ionathan fratrē Iudæ ad Machabæorū familiā.

Obiectio prima Pererij. OBIICIT primo Pererius principatū Machabæis iure hæreditario non contigiſſe, ſed ſolum-

ſolummodo conceſſum fuiſſe ex conſenſu popu li, neque ſimpliciter ſed vſque quo ſurgeret propheta, qui ex Dei ſententia quid factũ opus eſſet oſtenderet, vt patet 1. Machab. 9. ver. 28. *Et congregati ſunt omnes amici* Iuda, *& dixerunt Ionathæ, nunc te hodie eligimus eſſe pro eo nobis in principem & ducem ad bellãdum bellũ noſtrũ.* & inferius cap. 14. *Iudæi & ſacerdotes conſenſerunt Simeonem eſſe ducẽ ſuũ, & ſummũ ſacerdotem in æternum, donec ſurgat* Propheta *fidelis.*

AD primum teſtimonium Reſpondeo Ionathan electum fuiſſe in ducem & Põtificem nõ ambitiosè, ſed ex cõi & vnanimi populi cõſenſu.

RESPONDEO ſecundo Ionathan electũ fuiſſe loco fratris, non quod Machabæis nõ deberetur principatus, ſed quia omnium voce declaratus eſt dux poſt fratrem Iudam, ſicut de Simeone dicitur, qui etiam ſucceſſit fratri ſuo Ionathæ, lib. 1. Machab. cap. 13. ver. 7. & 8. *Et accenſus eſt ſpiritus populi ſimul vt audiuit ſermones iſtos, & reſponderunt voce magna dicentes: Tu es dux noſter loco* Iudæ *&* Ionathæ *fratris tui pugna prælium noſtrum.*

AD ſecundum Reſpondeo conſenſiſſe, id eſt placuiſſe populo, eique gratiſſimum fuiſſe, vt Simeon eſſet dux & ſummus ſacerdos, vt iam dictum eſt ſupra. **Ad ſecũdũ Reſp. Primo.**

RESPONDEO ſecundo rogatu Simeonis Demetriũ Regem Syriæ Iudęos ab omni tributo abſoluiſſe, quę fuit vltima immunitas vectigaliũ & tributorũ data Iudæis à Regibus Syriæ, **Secundo.**

vt patet ex cap. 13. ver. 39. & ſequentibus, ſtatuerat autem, vel potius confirmauerat Demetrius Simoni Pontificatum, vt ibidem habetur, quæ inſtitutio vi magis fiebat, quam iure: ad quam inſtitutionem Regis, acceſſit populi conſenſus non ſolum quoad Simeonis perſonam, ſed etiã quoad poſteros; & ideo additur *in æternum donec ſurgat Propheta fidelis*, id eſt quoſque Deus per verum prophetam reuelet aliter fieri debere: Machabæi enim licet functi ſint ſacerdotio ſummo ex priuilegio ſpeciali, non tamen erant de familia ſacerdotali. Aliter & melius reſpondemus *donec ſurgat propheta fidelis* idem eſſe ac ſi diceretur, donec Chriſtus naſcatur; præfuerunt enim poſteri Simeonis vſque ad Herodem Aſcalonitam. Hæc interpretatio eſt Genebrardi in Chronographia anno mundi 3638. & confirmatur ex cap. 18. Deuteron. ver. 5. *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, ſicut me ſuſcitabit tibi Dominus Deus tuus, ipſum audies*. Certum autem eſt hic per prophetam intelligi Chriſtũ Plura hac de re Cyrillus Alexandrinus lib. 8. in Iulianum poſt initium.

Chriſtus propheta fidelis dicitur.

Obiectio ſecunda.

OBIICIES ſecundo ex lib. 1. Machab. ca. 2. ver. 1. de Matathia, qui Pater fuit Machabæorũ legitur; *In diebus illis ſurrexit Matathias filius Ioannis filij Simeonis, ſacerdos ex filijs Ioarib*, id eſt, ex vice & familia Ioarib, quæ inter viginti-quatuor familias poſterorum Aaronis ſorte prima exijt, vt habetur 1. Paralip. cap. 24. ver. 7. Tradit etiam Ioſephus lib. 12. antiq. cap. 8.

RE-

RESPONDEO loco citato Machabæorum in Greco eſſe *τῶν υἱῶν ἰωαρὶς*, id eſt filiorum Ioarib, & ita legitur in vulgato Sixti V. Nulla autẽ ratio nos cogit, vt dicamus Ioarib eundem eſſe qui in Paralipomeni dicitur: Nam ibi dicitur Ioarib, hic verò in vulgato Ioarim; quod ſi concedamus Matathiam eſſe ſacerdotẽ de vice Ioarib, vt ſentit Ioſephus; tamen neque ſcriptura, neque ipſe Ioſephus indicant Matathiam eſſe de familia Ioarib ex paterno genere, potuit enim fieri ex materno, & ita hac de cauſa fuiſſe ſacerdotem. Reſpõſio.

OBIICITVR tertiò ex D. Paulo ad Hebręos cap. 9. verſi. 13. Nullum vnquam de tribu Iuda ſeruiſſe altari, ex quo probat Christum Dominum ex tribu Iuda non fuiſſe ſacerdotem ſecundum ordinem Aaron, ſed ſecundum ordinem Melchiſedech. Præterea Deus lib. Num. & alibi grauiſſimis pœnis prohibuerat quempiam ſacerdotio fungi, aut miniſtrare ſacris, qui non eſſet de tribu Leui, & ſemine Aaron; ideo non modo vetitum & illicitum erat apud Iudæos aliquem ex alia tribu, quàm Leui ſacerdotiũ exercere, ſed etiam impium & execrandum habebatur, & nonnunquam à Deo ſeueriſſimè caſtigatum, vt oſtendunt exempla Dathan. & Abiron Num. 16. & Oſeæ regis Iuda 2. Paralip. cap. 26. verſi. 16. Obiectio tertia. Vetitũ & illicitum immo ſeueriſſime caſtigatũ aliũ quam ex tribu leui ſacerdotiũ exercere.

RESPONDEO ad locum D. Pauli pleroſque interpretes concedere Chriſtum Dominum, & Beatam virginem fuiſſe ex vtraque tribu, Reſpõſio.

bu, & Regia & Sacerdotali; nam de Regia clarè docet Zacharias Pater præcurſoris, cum ait, *in domo Dauid pueri ſui*, & Beata virgo dicitur *de domo & familia Dauid*. De ſacerdotali verò colligimus, quia Eliſabeth cognata dicitur B. Virginis.

DICES Paulum aſſerere, nullum de tribu Iuda ſeruiiſſe altari.

RESPONDEO ita fuiſſe ex præcepto diuino; ſed tempore Machabæorum rebus Hebræorum perturbatis ita exigẽtibus voluit Deus hos qui erant ex vtraque tribu & præeſſe, & ſacrificare.

RVRSVS obijcies. Ergo ratio Pauli infirma eſt, qua probat Chriſtũ non eſſe ſacerdotem leuiticum quia nullus de tribu Iuda ſeruiuit altari.

RESPONDEO vim habere eam rationem ex præcepto illo diuino, & rõnis huius vim magis augeri, tum ex alijs tum quia addit Paulus Chriſtum eſſe ſacerdotem ſecundum ordinem Melchiſedech, & non eſſe ſacerdotem legalem origine, & ſucceſſione. Vide D. Paulum loco citato.

Obiectio vltima. VLTIMO obijcit Pererius D. Hieron. authoritatem qui in c. 21. Ezechielis ſæpius ait, regnũ Iuda & Dauidis finiiſſe in Rege Sedechia.

Solutio. RESPONDEO finire regnũ in Sedechia, id eſt, tranſire principatũ per Iechoniã, & ſucceſſores de ſtirpe Iudæ vſq; ad Chriſtũ. Vnde idẽ Hieron. ait c. 1. Sophoniæ vſq; ad tẽpus paſſionis & mor-

mortis Domini noſtri perſeueraſſe Reges Iudæ de ſtirpe Dauid ſecundum illam prophetiam Iacob *non deficiet ſceptrum de Iuda.* Reges Iudæ appellat D. Hierony. latiori vocabulo *principes Iudæ*, qui vſque ad Herodem fuerunt, nec tamen principes ſi propriè loquendum ſit perſeuerarunt vſque ad paſſionem Chriſti.

CONCLVDAMVS ergo Machabæos eſſe ex paterno genere de tribu Iuda, & in eis continuatum eſſe ſceptrum vſq; ad Herodem, neque datum fuiſſe eis regnum ex populi electione. vt voluit Pererius, neque ſceptrum per modum depoſiti vt ſentit Canus lib. 2. de locis Theologicis cap. 11. in ſolutione quarti argumenti, ſed per legitimam principatus Iudæ ſucceſſionem. Dicti autẽ ſunt Machabæi vt notat Genebrardus lib. 2. Chronographiæ anno mũdi 3922. ex eo quod Iudas filius Matathiæ militibus ſuis belli teſſeram dederit, hanc ſententiam Moyſis Exod. 5. ver. 11. מִי כָמֹכָה בָּאֵלִם יְהוָה mi camocha baelim adonai, id eſt quis ſicut tu in fortibus Domine, cum autem illam ſingulis ordinum vexillis, tanquam certæ victoriæ omen per quatuor has literas inſcribi miſiſſet מכבי populo breuitatis cauſa legente Machabai, paulatim obtinuit vt cuius teſſeræ author Iudas, eiuſque fratres, eorũq; poſteri Machabæi dicerentur. Ita Rabbi Iſaac Benchola.

Machabęi ex paterno genere de tribu Iuda illisq; datum regnum per legitimã ſucceſſionem.

Machabęi cur dicti ſunt.

TEXTVS.

Ligans ad vineam pullum ſuum, & ad vitem ô fili mi aſinam ſuam, lauabit in vino ſtolam ſuam, & in ſanguine vuæ pallium ſuum, Pulchriores ſunt oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores

EXPOSVIT Patriarcha quomodo Chriſtus futurus ſit gentiũ expectatio D. Hieronymus in quæſtionibus Hebraicis ſic locum hũc vertit ex Hebræo oſſeri lagephen gniroh velaſerecah beni athono אסרי לגפן עירה ולשרקה בני אתונו id eſt *alligans ad vitem pullum ſuum, & in Sorech, fili mi, aſinam ſuam*. Quod vero dicit, *fili mi* eſt Apoſtrophe ad ipſum Iudam.

NOTA vbi nos legimus, *Alligans ad vitem pullum ſuum*, pro *pullo* in hebræo legi poſſe vrbem ſuam; vox enim gnir עיר. vtrumque ſignificat, quo denotatur Eccleſia de qua ſcriptum eſt in Euangelio. *Non poteſt ciuitas abſcondi ſupra montem poſita*. Et Regius vates Pſalmo 45. *Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei*. Ita intelligit D. Hieron. hunc locum. Alijs placuit per pullum intelligi populum gentilicum, qui diuinæ legis iugum nunquam tulerat; per aſinam

Pullus hic quid ſignificet.

verò

verò populum Iudæorum, qui Domino ſeruie rat iugo legis aſtrictus; alligaturus enim erat Chriſtus vineæ ſiue viti aſinam ſuam, ſcilicet po pulum Iudæorum,& pullum hoc eſt populum gentilem,non ad columnam lapideam,aut ro-buſtam ilicem, ſed ad vitem fragilem & flexibi lem palmitem,vt intelligeremus vincula Chri-ſti non eſſe violenta, ſed ſpontanea, & gentes non coactè ſed ſponte Chriſtum ſibi alligare,& & tam diu retinere quam diu ipſi voluerint:vi-tis ergo fragilitas ad hominis libertatem refer tur. Hæc etiam prophetia literaliter de Iudæ poſteris eſt intelligenda, licet Toſtatus & Bur-genſis intelligi velint tantùm de Meſſia. Erit itaque ſenſus, terra Iudæ erit fertiliſſima, & feraciſſima vini & lactis,vt poſſit pullus ad pal-mitem vnum,& aſinus alligare ad vitem, & ex eiuſdem vitis fructu onerari poſtquam ad ſatie-tatem homo comederit. Quantæ autem fuerit fertilitatis terra Canaan,patet ex num. 13.quã-do miſſi exploratores palmitem cum vua ſua tu lerunt, quem duo viri vix portare potuerunt. Subijcit. *Lauabit in vino ſtolam ſuam,& in ſan-guine vuæ pallium ſuum*,quia tanta erit in ſorte Iudæ vini abundantia, vt poſſint in eo lauari veſtimenta, ſicut abundè & largè fluunt aquæ ex fonte quibus lauantur veſtimenta. Hæc ad myſteria Crucis,paſſionis,& incarnationis Do-minicæ, ſpectant, vt indicauit Paraphraſtes Chaldæus, qui ſic tranſtulit *Purpura optima erit veſtimentum eius,opertimentum eius erit co-*

Vincula Chriſti nõ violenta ſed ſpõta-nea.

Fertilitas terræ Ca-naan.

Prænũti-ta Chriſti Domini crux & paſſio.

xino, variſque coloribus tinctum. Huic oraculo, vaticinium Iſaiæ annectimus cap. 63. *Quis eſt iſte qui venit de Edom tinctis veſtibus de Boſra, iſte formoſus in ſtola ſua gradiens in multitudine fortitudinis ſuę? Ego qui loquor iuſtitiam, & propugnator ſum ad ſaluandum? quare ergo rubrum eſt indumentum tuum ſicut calcantium in torculari, torcular calcaui ſolus, & de gentibus nō eſt vir mecum.* Quomodo autem vaticinium Iſaiæ cū hac prophetia Iacob conueniat, pulchrè oſtendit D. Hieronymus ſuper hunc locum Iſaiæ: *Secundum aſſumptionem,* inquit, *carnis, & paſſionem Crucis dicitur ad eum, vt intingatur pes tuus in ſanguine, & ſub Iuda vocabulo in Gen. prophetatur. Hic eſt quem Angelicæ poteſtates videntes ad patrem accedere cruentum, imperant cęteris Angelis, & ab iis audiunt: Attollite portas principes veſtras, & eleuamini portę ęternales & introibit Rex glorię. Vnde in canticis patruus meus rubicundus & candidus; rubicundus in paſſione, candidus in reſurrectione.*

Oculi Chriſti ſunt Apoſtoli quibus Eccleſia illuſtratur.

SVBDITVR deinde *pulchriores ſunt oculi eius vino, & dentes eius lacte cādidiores.* Oculos Chriſti D. Ioannes in Apoc. c. 5. teſtatur eſſe ſpiritus Dei miſſos in oēm terrā, id eſt Apoſtolos, quos miſit Chriſtus Euāgelizare: hi in corpore Chriſti quod eſt Eccleſia, velut lucidiſſimi & ſplēdidiſſimi oculi erāt, quibus Eccleſia illuſtrabatur, ſapientia & ſciētia corruſcantes, qui ſicut oculi altiſſimo loco propter dignitatis pręſtātiā collocati ſunt in Eccleſia, *pulchriores ſunt vino,*

accenſi

accenſi Chriſti Domini amore ſanguine perfuſi rubentes prædicarunt, & immania quoque tormenta pertulerunt. *Dentes* autem euangelicæ legis prædicatores ſignificāt Cant.4.verſi.2. *Dentes tui ſicut greges tonſarū, quę aſcēderunt de lauacro, oēs gemell s fœtibus & non eſt ſterilis in eis.* Duo hic præcipuè denotantur in dentibus, Albedo & æqualitas quæ in prædicatoribus reperiri debēt, innocentia & vitæ puritas iuncta cū bonis operibus: prius oſtenditur in *gregibus tonſis aſcendētibus de lauacro*; poſterius, quod *fœtus fuerint gemelle*. Alij putant per hoc ſecundū denotari doctrinæ vnitatem; hi præſcindūt hominū errores, panē doctrinæ Euāgelicę frangūt, ipſos quaſi cōminuēdo ī corpus Chriſti trāsferūt. Per *candorem* autē notitia fidei, et puritas doctrinę Chriſtianę intelligitur: Hæc aūt doctrina nō aliter quā lac infantibus tantū datur: ſicut enim lac cibus eſt infantiū, ita diuinæ reuelationes ſimilibus tantū cōmunicantur, ijs ſcilicet, qui de ſe humiliter ſentiūt Matth.c.11. *Abſcondiſti hęc à ſapientibus, & prudentibus & reuelaſti ea paruulis.* Si locū hunc intelligas de tribu Iuda ſecū dum literā, ſignificatur fore vt rubeſcant oculi poſteriorum Iuda ab ipſo vino, quod abūdāter profert terra Canaan: quo denotatur cordis hilaritas, & ꝑpetuū gaudiū, & fęlicitas huius tribus, vt Pſalm. 103. *Et vinum lętificet cor hominis*; candor dentium erit ex lactis eſu cuius tanta erit copia, ac ſi dixiſſet; ſatiabitur cibo temporali & commodo, quicunque terram Iudæ inco-

Dētes prędicatores Euāgelij denotant Radio.

Candor puritatem Euangelij oſtendit.

incoluerit. Paraphraſtes Chaldæus locũ hunc reddit. *Rubecundiores erunt in vineis ſuis, & diſtillabunt colles in vinum, dealbabuntur campi frumento, & gregibus ouium.*

VATICINIVM QVARTVM

DE ZABVLON.

TEXTVS.

Zabulon in littore maris habitabit, & in ſtatione nauium pertingens uſque ad Sidonem.

Benedictio Zabulon.

MEMINIT quarto loco Zabulon, qui filius etiam fuit Lyæ, & ad ipſum conuertens ſermonem ait *Zabulon in littore maris habitabit* Geneſ.30. vbi in vulgato eſt, *hac vice habitabit mecum maritus meus, & vocauit nomen eius Zabulon*, in Hebreo eſt

הַפַּעַם יִזְבְּלֵנִי אִישִׁי וַתִּקְרָא אֶת שְׁמוֹ זְבֻלוּן

happaam isbeleni, ischi vatikra eth ichemo Zebulon. Quo loco eſt elegantiſſima paronomoſia à verbo זָבַל Zabal, id eſt habitare, & nomẽ זְבֻלוּן Zebulon, quod ſignificat habitationem, id eſt ſenſus, Zabulon in terra Canaan habitabit

bit in littore maris mediterranei, & mercaturæ vacabit, eiuſque fines & termini pertingent vſque ad Sidonem: vnde cum Sidonijs exercebit mercaturam. Deut. 33. dicebat Moyſes in benedictione Zabulon; *lætare Zabulon in exitu tuo.* Huius terminus ad Sidonem inſignem Phœniciæ vrbem, de qua meminit ſcriptura Iudicum 1. & Matth. 15. hanc prouinciam fore à Christo Domino viſitandam, eiuſque præſentia nobilitandã prędixerat Iſa. c. 9. *Primo tẽpore alleuiata eſt terra Zabulon, & terra Nepthali, & nouiſſimo aggrauata eſt via maris trans Iordanem Galilaæ gentium, populus qui habitabat in tenebris videt lucem magnam habitantibus in regione vmbræ mortis lux orta eſt eis* Matth. 4. *Habitauit in Ciuitate Capharnaum maritima in finibus Zabulon, & Nephtali, vt adimpleretur quod dictum eſt per Iſaiam; terra Zabulon & terra Nephthali via maris trans* Iordanem *Galilaæ gentium.* Matth. 15. *Seceſſit in partes Tyri & Sidonis* vbi filiam mulieris Cananeæ liberauit à Dæmonis cruciatu: Sunt autem duæ Galilææ vt tradit D. Hieronymus de locis Hebraicis, ex quibus vna Galilæa gentium vocatur, quæ magna ex parte à gentibus habitabatur, vicina Tyri finibus, vbi & Salomon viginti oppida donauit Hyram regi Tyri, qui gẽtilis erat; & hęc erat in ſorte Nephtali. 3. Reg. c. 4. ver. 11. Altera Galilęa Iudęorum circa Tiberiadim, et ſtagnũ Genezaret in terra Zabulon, qđ ſtagnũ alio nomine dicitur mare Tiberiadis & mare Galilææ.

Sidõ vrbs Phœnitię.

Galilea duplex vna gentium.

Altera Iudęorum.

VA-

VATICINIVM QVINTVM DE ISSACHAR.

TEXTVS.

Iſſachar aſinus fortis accubans inter terminos, vidit requiem quod eſſet bona, & terram quod optima: & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum, factusque eſt tributis ſeruiēs.

Benedictio Iſſachar.

Iſſachar an aſinus fortis dicatur.

HIC, inquit D. Hierōnymus in traditionibus Hebraicis. *Patriarcha Iacob ad Mediterraneam prouinciam redit, & Iſſachar qui iuxta Nephthalim pulcherrimam in Galilea regionem poſſeſſurus erat benedictione ſua habitatorem facit; aſinū vero fortem vocat, quod in agricoltura & vehendis ad mare mercibus, quæ in ſua naſcebantur regione plurimūm laboraturus eſſet regibus quoque hac de cauſa dans tributa. Hebræi per metaphoram aſſerunt ſignificari tribum hanc aſinum, eo quod datura eſſet operam ſtudijs ſacrarum literarum, & omnes tribus illi quaſi magiſtro dona portaturas,* Hactenus D. Hieronymus.

Duplex interpretatio huius loci.

DVAE autem ſunt huius loci interpretationes: Vna quod Iſſachar ſit aſinus fortis, quia humerum ſuppoſuit, vt eſſet vir agricola, & plurimum

mum laboraret in portandis oneribus. Altera, quod plurimũ ſudauerit in lectione ſacrarũ literarum & ideo habitauerit intra ſuos terminos, & limites, ſtudiorum cauſa: vnde requiem prætulit negotijs & curis ſæcularibus, terramque vidit optimam ad vacandum ſtudijs ſacrarum literarum, & ſubmiſit humerum ad portandum labores ſtudiorum, & factus eſt tributis, id eſt pro tributis ſeruiens; eo quod alij tribus ei offerrent tributa vt liceret ſibi liberius ſtudijs incumbere: Lyrano tamen non placet hæc hebræorum interpretatio; *nam in ſcriptura*, inquit *non legitur ex hac tribu fuiſſe, qui reliquos doctrina, & ſapientia ſuperauerint*. Toſtatus tamen adfert locum ex primo Paralip. cap. 12. vbi dicitur. *De filijs quoque Iſſachar viri eruditi, qui nouerant ſingula tempora ad præcipiendũ quid facere deberet Iſrael, principes ducenti*. Et ſubdit ſtatim: (quod ad rem noſtram plurimum facit.) *Omnes autem reliqua tribus eorum conſilium ſequebatur*. Præterea locus hic ad ſapientiæ ſtudium non poteſt accommodari, cũ nõ ſit apta & cõueniens metaphora, qua *aſino forti* vir ſtudijs deditus comparatur; omnium autem animalium ſtupidiſſimum eſt aſinus. Tertiò dicitur *terra optima*, non ſtudijs literarum, ſed quia fertilis & frugum ferax. Denique interpretari *tributis ſeruiens*, id eſt pro tributis, & non potius quod ipſa tribus ampla tributa perſolueret regibus, eſt vim textũi ſacro inferre. Quare locum hunc exponit de exercitio agriculturæ,

Lyranus reijcit hebræorum interpretatione huius loci ſed malè.

& de

& de terræ feracitate: Dicitur autem Iſſachar, *aſinus fortis*, quod ad tolerandos agriculturæ labores robuſtus eſſet, ſorte ſua contentus habitās intra ſuos limites. Hæc enim tribus vno termino claudebatur mari Mediteraneo, altero verò mari Galilææ ſiue Tiberiadis, vel vt alij volunt altiſſimis montibus. *Vidit requiem, quod eſſet bona*, & ideo maluit intra fines ſuos ſe continere & dare operam agriculturæ, quam per longos terræ, mariſque tractus ad exteras nationes mercium cauſa vagari, ſicut fecerunt Zabulonitæ quorum terra non erat ita fertilis, & ideo nauigationibus intendebant. *Suppoſuit* verò *humerum ad portandum & factus eſt tributis ſeruiens*, maluit tributa ſoluere, quàm militiæ operam dare, maluit agros colere quàm in bello ſeruire regibus. Vel ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum, quando ferebat fructus ex terra ſua ad maris portus, vt eos mercatoribus venderet.

HAEC interpretatio licet admittatur, non tamen improbanda alia de ſtudio ſacrarum literarum, quam ſatis indicat ſcriptura loco citato, & approbant Hebræi antiquiſſimi ex D. Hieronymo loco citato, & recentiores, vt probat Rabbi Iſaac in hunc locum, quare vtramque poſſumus interpretationem coniungere ſi dicamus filios Iſſachar fuiſſe agricolturę deditos, & ſacro etiam ſtudio: Neque obſtat, quod obijciunt Lyranus & Toſtatus, aſinum fortem non ſignificare virum ſapientiæ deditum, ex eo quod animal hoc ſit ſtupidiſſimum, non enim aliud denotatur,

Senſus genuinus huius benedictionis. Ad rationes Lyrani. Reſp.

tur,quam viros Iſſachar laboris eſſe patientiſſimos,cum in agricultura, tum in ſtudijs literarum neque enim ſcriptura ſecundum omnem ſimilitudinem loquitur. Quod ſi terra non dicatur optima ſtudio litterarum, nihil obſtat, erat enim terra Iſſachar quieta, cuius poſſeſſores non dabant operam militiæ, & proinde literarum otio accommodatiſſima. Denique nulla vis textui infertur, cum exponitur *pro tributis ſeruiens*, cum id optimè præſeferant verba Hebraica לְמַס עוֹבֵד lemas gnobed, id eſt tributis ſeruiens, vel in tributo, vel pro tributo; **Seruiens tributo** dictum eſt propter agricolas vt ſupra oſtenſum eſt. *Pro tributo ſeruiens* propter viros ſapientes, quibus data erant tributa ab alijs tribubus ad vitam tranſigendam, cum ipſi non alijs, quàm ſacro ſtudio vacarent.

VA-

VATICINIVM SEXTVM DE DAN.

TEXTVS.

Dan iudicabit populum ſuum, ſicut & alia tribus in Iſrael. Fiat Dan Coluber in via, ceraſtes in ſemita, mordens vngulas equi vt cadat aſcenſor eius retro, ſalutare tuum expectabo Domine.

Benedictio Dan.

POSTQVAM benedixiſſet filijs Lyæ transfert ſermonem ad filios ancillarum, & primum agit de Dan filio Balæ, quæ fuit Rachelis ancilla,& ait, *Dan iudicabit populum ſuum*, quaſi diceret, naſcetur etiam ex hac tribu qui futurus ſit Iudex populi,& quam uis filius ſit ancillæ,non tamen hac in re alijs tribubus inferior Iudic. 15. Sampſon filius Manhuæ iudicauit Iſrael in diebus Philiſtim annis viginti,qui fuit de tribu Dan, vt teſtatur D. Hieronymus in quæſtionibus hebraicis qui exiſtimat,in ſpiritu prophetico vidiſſe Patriarcham Iacob Sampſonem Nazareum triumphare de hoſtibus, & in ſimilitudinem colubri obſidere vias, nullum tranſire permittentem,

Interpretatio huius loci ſecundum D. Hieronymum.

tem, etiamſi equi velocitate confiſus fuiſſet; videns etiam fortem Nazareum eius, & propter meretricẽ Dalidam mortuũ, inimicos & hoſtes patriæ moriẽdo occidiſſe: vnde ad Deũ conuertens ſermonem ſic ait Patriarcha: *Putans ò Deus ipſum eſſe filiũ tuũ; verũ quia mortuus eſt, & non reſurrexit, & rurſus captiuus ductus eſt populus Iſrael; alius mihi ſaluator mundi expectandus eſt, vt veniat cui repoſitum eſt, & ipſe erit expectatio gentium.* Sic D. Hieron. cui conſona eſt Chaldaica paraphraſis de Sampſone quoque locum exponens in hunc modum. *De domo Dan eligitur, & conſurget vir, in cuius diebus liberabitur populus eius, & in annis eius requieſcẽt ſimul tribus Iſrael, erit vir qui conſurgit & eligitur de domo Dan, cuius timor irruet ſuper populos, & percutiet fortiter Philiſteos: quaſi coluber, & aſpis inſidiabitur iuxta ſemitam interficiet robuſtos Philiſteorum equites cum peditibus, eneruabit equos, & quadrigas, & eijciet aſcenſores eorum retrorſum. Salutare tuum expecto Domine dixit Pater noſter Iacob: Nõ expecto ſalutare Gedion filij Ioaz, quia eſt ſalus tẽporalis. Neque ſalutare Sampſon filij Manhur, quia eſt ſalus tranſitoria, ſed expecto Redemptionẽ Chriſti filij Dauid qui venturus eſt, quem deſiderat anima mea.* Hactenus Chaldęus qui ſua paraphraſi magnam his verbis lucem attulit D. itaque Hieronymus dę Sampſone prophetiã expoſuit. Chaldęus itidem, & pleriq; Hebræorũ vt apparet ex Rabbi Iſaac in hunc locũ. De Sampſone locũ hũc itelligit D Hieronymus.

M ET

Nazareorum institutum.

ET OBSERVANDUM quod Samſon Nazareus à D. Hieron. dicitur, id eſt Deo conſecratus & ſeparatus à communi hominum vita in potu cibo & cultu: huic instituto alij in certum tempus, alij in perpetuum ſe aſtringebant: lege Num. cap. 6. Samſon in multis typus Chriſti extitit, præcipuè dum mortem ſibi parauit, vt Iſraelitas ſeruaret lege lib. Iudic. à cap. 13. vſque ad 17. & ad Hebræos cap. 11.

Sampſon in multis typus Chriſti extitit.

NOTA etiam Paraphraſten dixiſſe liberandum populum à Samſone, cum tamen non penitus liberauit, ſed ſolum inceperit ſicut dixit Angelus ad eius matrem Iudic. cap. 13. verſ. 5. *Ipſe incipiet liberare Iſrael de manu Philiſtinorum.*

Maſij ſententia reijciendum eſſe Sampſonem ex numero Iudicū Iſrael.

ANDREAS Maſius doctiſſimus interpres Ioſue, aſſerit Samſonem expungendum eſſe de numero Iudicum, & 20. annos quibus iudicaſſe Iſraelem memoratur, ad ſcribendos dimidiato Pontificatui Heli, contraria eſt hæc aliorum Chronographorum ſententiæ, & quod grauius eſt ſcriptoræ ſacræ, nam Iudic. cap. 16. ver. vltimo hæc verba habentur: *Iudicauit que Iſrael 20. annis* forraſſe vt obſeruauit Genebrardus lib. 1. chronog. anno mundi 3026. voluit Maſius partim Hebræorum redundantem traditionem de 28. annis Ioſue, partim mendoſam Græcorum æditionem pertinacius tueri, quam tamen debuit animaduertere emendatam in Græcis Biblijs regijs, & Sixti Quinti quæ aperte Samſonis

nis principatui tribuunt annos viginti iuxta veritatem Hebraicam & vulgatam editionem.

OBIICIT Burgenſis, contra expoſitionem D. Hieron. fieri non poſſe vt dubitatio vel ſuſpitio in Iacob cadere potuerit de Samſone, quod futurus eſſet Chriſtus, qui paulo ante prophetauerat Meſſiam fore de tribu Iudæ. Obiectio.

RESPONDEO optimum eſſe ſenſum D. Hieronymi, neque enim voluit tribuere Iacob ſuſpicionem erroris, ſed quod miratus ſit Samſonem fortiſſimum Nazareum, vt in mentem cuipiam venire potuiſſe ipſum futurum populi ſaluatorem, & Chriſtum. Pulc re vero animaduertit D. Gregorius homil. 5. Ezech. quod ſalutare latinè dicimus, dic hebraicè ישועה Ieſuach, & rectè quia ישועה nomen quod ſalutem ſignificat vſurpauit hic Iacob, quo oſtenditur quanto deſiderio, & animi affectu cupierit Iacob aduentum Chriſti, & ipſius nomine deſignaret, quod imitatus Habacuc ca. 3. dixit: *Ego autem in Domino gaudebo, & exultabo in Deo Ieſu meo*, vbi eadē Hebraica dictio ישועה Ieſuach habetur. Solutio.

Quæſtio An vaticinium Dan Antichriſto conueniat.

ORITVR tamen quæſtio difficilis hoc loco ex eo quod plerique Sanctorum Patrum hoc vaticinium ad Antichriſtum retulerint, & de eodem expoſuerint D. Ireneus lib. 5. aduerſus hæreſes cap. 30. Hyppolitus martyr oratione de conſummatione mundi. Theodor. quæſt. vlt. in Gen. Arethas in caput 7. Apocalip. D. Ambro-

M 2 ſius

ſius lib. de benedic. cap. 7. D. Aug. q. 22. in Ioſue D. Greg. lib. 31. moral. cap. 18. Proſper Aquitanicus lib. de prædictionibus Dei, quæſt. 4. Beda, Rupertus, Anſelmus in cap. 7. Apocalip. & omnes fere Eccleſiaſtici ſcriptores, qui probant ex his verbis. *Fiat Dan coluber in via* &c. & ex Ieremia cap. 8. *Ex Dan audiuimus fremitum equorum eius.* Augetur amplius difficultas, quia Iacob loquitur ad literam de poſteritate Dan, nō poſſumus autem in eius poſteritate de alio locū interpretari quam de Sampſone, at interpretatio de Samſon: hiſtorica, nulla ratione poteſt cō uenire Antichriſto: etenim locus totus in laudem Samſonis prolatus eſt; ſi autem interpreteris cum pleriſque Patrum de Antichriſto, de fraudibus, dolis & inſidijs eius, & de maximis tribulationibus tēpore ipſius futuris, locus nō in laudem ſed in vituperiū potius acciperetur: nullus autem ſanæ mentis relicto hiſtoriæ fundamento de Sampſone Iudice ſenſum de Antichriſto ſubijciet contrarium. Quod ſi quis dicat ſenſum de Antichriſto non eſſe hiſtoricum ſed myſticum. Huic obſtat cūctorum ferè Patrum ſententia, quæ ex hoc loco ſtatuit futurum Antichriſtum de tribu Dan. obſtat etiam ratio efficaciſſima D. Hieron. quæ ab omnibus patribus & interpretibus axioma certiſſimum reputatur *Senſum myſticū ſemper debere inniti hiſtoriæ, & ſenſui literali, & in eo fundari*; eosq; qui myſticè interpretantur non poſito hiſtoriæ fundamento

mento

mēto,ſimiles illis eſſe, qui tectū ſine parietibus imponunt,eoſdemq; eſſe deliros,& lymphatico duci ſpiritu. Si quis igitur contendat Patres expoſuiſſe de Antichriſto in ſenſu myſtico, ſenſus ille nullū habet fundamentum in hiſtoria: Si verò ſenſus de Antichriſto literalis eſt, & hiſtoricus, ſiue typicus & figuratiuus, qui ſæpius itidē literalis eſt, vel dimittemus hiſtoricam benedictionem ipſius Dan eiuſq; poſteritatis,quod eſt plus quam ſtultum: vel typus & figura, id eſt Sampſon, & res figurata hoc eſt Antichriſtus ſibi inuicem contrariantur; quod eſt abſurdum: Sampſon enim comparatus eſt *ſerpenti & ceraſti mordenti*, non quod dolo res illas geſſerit, contra Philiſtæos, ſed potius animi virtute & robore eius prudentia & aſtutia in ſuperandis Philiſtæis nobis declaratur. Quæ verò dicuntur de dolis & fraudibus Antichriſti, venenatam quandam & ſathanicam malitiam denotant. His de cauſis eſt difficilè explicare,quomodo Patrum de Antechriſto ſententia huic loco poſſit quadrare. Et quidē Bellarm. tom.1.lib.3.de Romano Pontifice.cap.12. Et Franciſcus Feuardentius in annotationibus ſuper locum Hierem. ſentiūt forſan verba hęc Iacob,quæ vſurpāt patres melius de Samſone exponi. Ita ēt ſentiūt Hyppolitus martyr. Procopius Gazeus, pluresq; alij; vel ſpirituali potius quam literali intelligi ſenſu locum de Antichriſto,ex quo ſenſu non poteſt duci argumentum

Sampſon cur ſerpenti comparetur.

efficax niſi probabile tantum. Sed his refragantur quæ ſuperius paulo dicta ſunt ſenſum hunc de Antichriſto non eſſe myſticum, cum nullatenus conueniat cum literali, ſed accommodaticium potius, fundamentum enim nullum in hiſtoria habet, vt oſtenſum eſt. Eſſe ſenſum accommodaticium deduco inde, quod literæ cortex & ſuperficies, dũ loquitur *Colubro & Caraſte*, videtur aliquo modo in Antichriſtum conuenire. De cuius fraudibus & dolis plura S. Patres locis citatis tradiderunt.

QVOD ſi quis plurium Patrum authoritatem obijciat non eſſe reijciendam, qui omnes veluti dogma quoddam ex hoc loco tradiderũt Antichriſtum naſciturum de Iudæis & tribu Dan, hos oportet oſtendere, qua ratione poſſit efficaciter exponi locus de Antichriſto: cui etiã propoſuimus clariſſimorum Theologorum ſententiam; qui dicunt Antichriſtum eſſe Mahometam. Ita ſentiunt Genebrardus Archiepiſcopus Aquenſis in chronographia anno Chriſti 657. Franciſcus Feuardentius ad locum citatum D. Hieron. quam ſententiam non ideo propoſuimus vt ſequeremur illam, ſed vt oſtenderemus quid de hac re ſenſerint Theologi eruditiſſimi. At non magnopere repugnabo, ſi quis tantorum Patrum authoritate innixus prima verba vaticinii *Dan iudicabit populum ſuum* de Samſone explicet, reliquam verò partem prophetiæ ad Antichriſtum referat cum patribus,

Prophetæ frequẽter de rebus longe diuerſis ſolent vaticinia cõmiſcere.

bus,

bus,ſolent enim prophetæ frequenter nunc de re vna, nunc de alia longè ab hac diuerſa vaticinia commiſcere: teſtimonium ad inſtitutum noſtrum eſt accommodatiſſimum, quod Chriſtus Dominus dixit de obſidione Hieroſolymitana, eiuſque ruina ſimul etiam mixtis vaticinijs de Antichriſti temporibus apud D.Luc.ca. 25.& D.Matth.cap.24.cum ait; *Cum ergo videritis abominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele rc Propheta ſtantem in loco ſancto qui legit intelligat &c.* vbi quędam ſunt quę ſpectant ad proximam ruinam Hieruſalem per Titum & Veſpaſianum Auguſtos; alia ad nouiſſima Antichriſti tempora ex ſententia fere omniũ, quale illud eſt. *Tunc ſi quis vobis dixerit: Ecce hic eſt Chriſtus aut illic nolite credere.* Et rurſus *poſt tribulationem dierum illorum ſol obſcurabitur, & Luna non dabit lumen ſuum; & ſtellæ cadent de Cœlo, & virtutes Cęlorum commouebuntur.* Huc ſpectant verba illa extrema:

Expectabo ſalutare tuum Domine, quaſi Iacob prophetice præuidens ſtatim mundi conſumationem petierit in die illo decretorio à Chriſto Domino iudice ſaluari.

VATICINIVM SEPTIMVM DE GAD.

TEXTVS.

Gad accinctus præliabitur ante eum, & ipſe accingetur retrorſum.

GAD filius eſt Zelphæ ancillæ, vt dicitur Gen.30. *Zelpham ancillã ſuã marito tradidit, quæ poſt conceptum edente filium dixit feliciter, & vocauit nomen eius Gad.* D.Hieronymus in quæſt. hebraicis totam prophetiam exponit de reditu Gad ad poſſeſſiones ſuas quæ erant trans Iordanem, & ſenſus eſt: Hoſtes inuadet,& dimicabit contra Gad, & ipſe in fine vincet. Lege librum Ioſue cap.13.& 1.Paral.5. vel prænunciat Iacob Gaditarum fortitudinem in dimicando pro fratribus. Scribitur enim Num.cap.32. Ruben & Gad antequam omnes ſimul filij Iſrael Iordanem tranſiſſent petiſſe à Moyſe poſſeſſionem in terra Iaſar & Galaad, quę erat citra Iordané, quibus reſpódit Moyſes. *Nunquid fratres noſtri ibunt ad pugnam & vos hic ſedebitis?* qui reſponderunt, *Nos armati & accincti pergemus ad prælium ante filios* Iſrael

donec

donec introducamus eos ad loca ſua, paruuli noſtri & quicquid habere poſſumus erunt in vrbibus muratis propter habitatorum inſidias, non reuertemur in domos noſtras, donec poſſideant filij Iſrael hæreditatem ſuam, nec quicquam quæremus trans Iordanem cum habeamus iam poſſeſſionem noſtram in orientali eius plaga. poſt quatuor autem annos quibus hæc peracta ſunt redierunt Gaditæ in hæreditatem ſuam citra Iordanem, quam eis conceſſit Ioſuæ cap. 22. *Quia dedit Deus pacem fratribus veſtris reuertimini, & ite in tabernacula veſtra, & terram poſſeſſionis quam tradidit vobis Moyſes famulus Domini trans Iordanem. &c.* Ergo iuxta vulgatam editionem. *Gad accinctus prœliabitur* quando cum Rubem Iordanem tranſiuit ante alias tribus. Poſteriora verba. *Et ipſe accingetur retrorſum*, quando iam expugnata terra promiſſa, & filijs Iſrael pacificè degentibus ipſi redierunt in poſſeſſiones ſuas.

DICES non modo Gaditæ ſed etiam Rubenitæ & dimidia tribus Manaſſe accincti & expediti profecti ſunt ad prælia ante reliquos fratres: cur igitur Gad tantum hoc loco dicitur accinctus præliare.

RESPONDEO ne laudaretur Ruben à Iacob cauſam fuiſſe ſcelus cum Bala commiſſum: Vnde tota illa oratio Iacob de Ruben habita eſt in eius reprehenſionem non in laudē. De dimidia aũt tribu Manaſſe nec id qui-

dem

dem dictum eſt, cum in his vaticinijs nil dictum ſit de filijs Ioſeph, nam in patre, Manaſſes & Ephraim filij ſunt comprenſi.

VATICINIVM OCTAVVM DE ASER.

TEXTVS.

Aſer pinguis panis eius, & præbebit delitias Regibus.

ASER filius eſt Zelphę ancillę Lyę, de quo dixit Lya cap. 30. *Hoc pro beatitudine mea, beatam quippe me dicent mulieres propterea appellauit ipſum Aſer.* prænunciat Iacob quod poſſeſſurus ſit Aſer terrã feracem, nomine enim panis לחם lechem apud Hebræos omne alimentũ intelligitur: ac ſi diceret, abundabit omnibus quæ ad vitã pertinent, quia naſcebantur in ſorte Aſer delicatiſſimæ fruges; *Et præbebit delitias regibus*, terra Aſer tam ſuaues fructus proferebat, vt illis et Reges cõtenti eſſe poſſint. Moyſes illũ benedicens dixit Deut. 33. tingat in oleo pedem ſuũ, ferrum & æs calceamẽtum eius. Hoc vaticinium applicat Eccleſia ſacroſancto Euchariſtiæ ſacramento, pinguis eſt panis Chriſti & præbebit delitias regibus.

VATICINIVM NONVM DE NEPHTALI.

TEXTVS.

Nephtáli ceruus emiſſus & dans eloquia pulchritudinis.

NEPHTALI frater eſt ipſius Dan, & ambæ filij Balæ ancillæ Rachaelis, de quo ipſa Rachel dixit ca. 30. *Comparauit me* Deus *cum ſorore mea, & inualui, vocauitque eum Nephtali*, vel vt eſt in hæbreo נַפְתּוּלֵי אֱלוֹהִים נִפְתַּלְתִּי עִם אֲחוֹתִי גַּם יָכֹלְתִּי וַתִּקְרָא שְׁמוֹ נַפְתָּלִי naphtoule elohim naphthalti gnim acheti gam kacholti, vaticra ſchemo Nepthali, id eſt, luctationibus Dei, vel magnis luctis luctata ſum cum ſorote mea, & præualui, ideo vocauit nomen eius nephtali, id eſt luctatio mea, ait ergo Nephtali ceruus emiſſus. Multi quos ſequitur Caietanus exponunt de Barach duce populi hebraici ſub principatu Debboræ, quæ fuit quinta in numero iudicum Iſrael, fuit autem Barach de tribu Nephtali, de quo Iudic. cap. 5. & in numero ſanctorum veterit teſtamenti numera-

Expoſitio huius loci de Barach duce populi hebraici.

Barach qui fuit.

meratur à D.Paulo ad Hebræos cap.11. dic i-tùrque *ceruus emiſſus*, id eſt velociſſimè exercitum ducens aduerſus Siſaram ducem regis Iabin, tollens ſecum decem millia pugnatorum de filijs Nephtalim, & de filijs Zabulon quo prælio victus eſt Siſara dux exercitus Cançanorum. Fuit ergo Nephtali in Barach duce Debbore prophetiſſæ & iudicis, velut ceruus emiſſus, qua tam inſigni victoria reportata canticum cecinit Domino quod habetur Iudicum 5. in gratiarum actionem diuinis laudibus plenum, quæ hic vocantur eloquia pulchritudinis; eius initium eſt *qui ſponte obtuleſtis Iſrael animas veſtras ad periculum benedicite Domino.*

SED Toſtato non admodum placuit hic ſenſus, quia inquit, in hoc prælio contra Syſaram non modo deſcenderunt milites de tribu Nephtalim, ſed etiam de tribu Zabulon, vt conſtat ex cap.4. lib.Iudic. & de Iſſachar etiam, vt patet ex cap.5. vbi dicitur *Duces Iſſachar fuere cum Debora, & Barach veſtigia ſunt ſequuti, qui quaſi in præceps ac barathrum, ſe diſcrimini dedit.*

RESPONDEO tamen hoc potiſſimum eſſe referendum ad Barach ducem exercitus, qui fuit de tribu Nephtali velut *ceruus emiſſus.*

SI OBIICIAS Barach nō velociter, & prompto animo bellum ſuſcepiſſe, & ideo petijſſe vt Debbora princeps eſſet in periculo ſocia.

RE-

RESPONDEO hoc non eſſe aſcribendũ timiditati Barach,ſed eius potius pietati,& religioni,qui ſperauit,ſocia Debbora prophetiſſa religioſiſſima fœmina, ſe in ſignem victoriam de Syſara reportaturum.

CAETERVM Paraphraſtes ad terræ ferocitatem verba retulit, quod in ea citò matureſcerent fructus,cũ ait; *Nephtali in terra bona cadit ſors eius, & poſſeſſio eius erit fructifera, laudabunt & benedicent ſuper eam.* Itaque *dans eloquia pulchritudinis*,idem eſt,ac ſi dixiſſet, terræ fecunditas ab omnibus laudabitur.

A LITER Andreas Maſius ad Ioſue cap. 19.ſenſit ſignificari hoc vaticinio Nephtalitas in tuto collocatos exultaturos libertate ſuaui, & copia delitiarum tanquam ceruus emiſ ſus, qui in amœnis ſaltibus libere paſcuntur, & ludunt: *dans* autem *eloquia pulchritudinis* ait dicta eſſe, quia Nephtalitæ in omni ſermone fuerunt blandi,& affabiles,vt gratiam omnium & animas ſibi conciliarent.

Nephtalitæ affabiles.

VATICINIVM DECIMVM
DE IOSEPH.

TEXTVS.

Filius accreſcens Ioſeph filius accreſcens, & decorus aſpectu: filij diſcurrerunt ſuper murum ſed exaſperauerunt eum, & iurgati ſunt inuideruntque illi: habentes iacula, ſedit in forti arcus eius, & diſſoluta ſunt vincula brachiorum, & manuum illius per manus potentis Iacob, inde paſtor egreſſus eſt lapis Iſrael.

QVIA dixerat de filijs Lyæ & de filiis ancillarum, ſermonem facit de filiſs Rachel: & incipit à Ioſeph, quia ipſe eſt primogenitus; & ſenſus eſt iuxta D. Hieronym. Ioſeph qui ideo vocaris, quia adauxit te mihi Deus ſiue quia inter fratres tuos maior futurus es, fortiſſima ſiquidem fuit tribus Ephraim (vt in Regum libris & Paralipomenis legimus) Fili mi Ioſeph tanta pulchritudine præditus es, te vt de muris turribus ac feneſtris puellarum Aegypti turba intueretur, inuiderunt tibi, & te

Inter pretatio huius prophetiæ.

ad

ad iracundiam prouocauerunt fratres tui; verũtamen arcum tuũ & arma poſuiſti in Deo, qui fortis eſt pugnator, & vincula tua quibus te fratres tui ligauerunt ab ipſo ſoluta ſunt & dirupta, vt ex tuo ſemine tribus naſcatur Ephraim fortis & ſtabilis, & inſtar lapidis duri & ris immobilis, imperans etiam decem tribubus Iſrael.

NOTA per repetitionem bis dixiſſe *filius accreſcens* vt ſignificaret duas tribus deſcendentes ab eo Ephraim & Manaſſe; vel vt ſignificaret duas eius perfectiones præcipuas ſubiectionem appetitus quando requiſitus eſt ab vxore Domini ſui, & munificentiam ac liberalitatem, qua patrem & totam eius familiam in Aegypto cibauit.

Ioſeph cur dicatur filius accreſcẽs.

NOTA etiam verba illa *inde paſtor egreſſus eſt lapis Iſrael* alium habere ſenſum, ſignificant enim Ioſeph in bono fuiſſe conſtantiſſimum inſtar lapidis immobilis Iſrael, nunquam à virtute deflectentem. Alii verterunt *inde paſcens lapidem Iſrael*, id eſt pauit me Iacob qui ſum lapis, & baſis & pater domus Iſrael. Pulchrè Caldæus Paraphraſtes verba hæc interpretatus eſt. Filius accreſcens Ioſeph, filius qui benedicetur quaſi vitis quæ plantata eſt iuxta fontes aquarum, duæ tribus egredientur de filiis eius, ſuſcipientque partem & hæreditatem eius, coaguſtiauerunt eum & vlti ſunt in eum, & exaſperauerunt fortiſſimi viri, viri diſſentionũ

& com-

& completa eſt in eo prophetia, eò quod obſeruauerit legem in occulto, propoſuitque conſtantem ſpem ſuam, tum poſitum eſt aurum optimum ſuper brachia eius: corroborauit & confirmauit regnum eius, quod fuit ei datum a facie Dei fortiſſimi Iacob cuius verbo gubernantur patres, & filij tribuum Iſrael.

TEXTVS.

Deus Patris tui erit adiutor tuus & Omnipotens benedicet tibi benedictionibus Cœli deſuper, benedictionibus abyſſi iacentis deorſum, benedictionibus vberum & vuluæ; benedictiones patris tui confortatę ſunt, benedictionibus patrum eius donec veniret deſiderium collium æternorum; fiant in capite Ioſeph & in vertice Nazarei inter fratres ſuos.

POSTQVAM laudaſſet Ioſeph de duabus perfectionibus continẽtia, & liberalitate tribuit illi benedictiones, ac ſi diceret, tu cibaſti patrem tuum: & fratres & ecce benedicet te Deus patris tui, & adiuuabit te, tu pro timore Dei ſubiecisti appetitum tuum, benedi-

cęt

cet te benedictionibus deſuper, & benedictionibus abyſſi iacentis deorſum, terra enim tua ſemper erit benedicta, qui enim in Cœlo eſt dabit ſuper eam rorem ſuum, & terra dabit germen ſuum. Moyſes benedicens Ioſeph Deuter. 33. ſic eum alloquitur *de benedictione Domini terra eius, de pomis cæli, & rore atque abyſſo ſubiacente, de pomis fructuum Solis ac Lunæ de vertice terræ, & de plenitudine eius. Benedictio illius qui apparuit in rubo veniat ſuper caput Ioſeph, & ſuper verticem Nazarei inter fratres ſuos quaſi primogeniti tauri pulchritudo eius, cornua rinocerotis cornua illius: in ipſis ventilabit gentes vſque ad terminos terræ, hæ ſunt multitudines Ephraim, & hæc millia Manaſſe.* Hæc Moyſes. Quoniã itaq; caſtiſſimus fuit Ioſeph, datæ ſunt illi benedictiones vberũ & vuluæ, dedit .n. illi Deus filios, & filios filiorũ in multitudine multa. Ne autẽ benedictio iſta, qua ipſum benedixit Iacob leuior ſibi videretur, addit *benedictionis patris tui cõfortatæ ſunt benedictionibus patrum eius*, ideſt maior eſt iſta benedictio benedictionibus progenitorũ meorũ & iuxta Rabbi Iſaac: ſenſus eſt, Abrahã & Iſaac filijs ſuis benedixerunt, ſed eorum benedictiones de rore Cœli, & de pinguedine terræ, de multitudine frumenti, & vini quæ deſideramus à collibus mundi, non autem benedixerunt filijs ſuis in multitudine ſeminis, & poſteritatis, & & ideo benedi-

ctiones meæ maiores ſunt parentum meorum, illæ enim tantum reſpiciebant diuitias & filios. Hæc itaque benedictio mea maior veniat in caput Ioſeph & in verticem Nazarei, id eſt ſeparati à fratribus ſuis.

SED refragatur huic expoſitioni, quod de Abraham dixit Deus cap 17. Gen. *Et benedicam ei, & ex illa dabo tibi filium cui benedicturus ſum, eritque in nationes & reges populorum orientur ex eo*, & eodem cap. de Abraham dicitur, *nec vltra vocabitur nomen tuum Abram, ſed appellaberis Abrahã, quia patremmultarum gentium conſtitui te*, & quæ ſequuntur.

OBSTAT etiam quod cap. 28. cum Iſaac dimitteret Iacob in Meſopotamiam benedixit ei dicens. *Deus creſcere te faciat, atque multiplicet vt ſis in turbas populorum & det tibi benedictiones Abrahæ, & ſemini tuo poſt te.* Rurſus ca. 23. ad Abraham dicitur, *multiplicabo ſemen tuum ſicut ſtellas Cęli, & ſicut arenam maris, quæ præ multitudine numerari non poteſt.*

ITAQVE melius exponitur hic locus ſi dicamus oſtendere Patriarcham Iacob, ſe deſiderare vt ſuæ & parentum benedictiones omnes ſimul veniant ſuper caput Ioſeph, quem ſenſum Chaldæus expreſſit cũ dixit, benedictiones patris tui addentur ſuper benedictionibus, quibus benedixerunt me patres mei. Poſſumus & aliter interpretari, *benedictiones patris tui confortatæ ſunt*, id eſt vim habent à benedictio

nibus

nibus patrum eius,& innituntur benedictioni bus Abraham & Iſaac,quaſi diceret benedictio nes meæ quibus te benedico certiſſimum effectum conſequentur,nam confortantur & innituntur benedictionibus quibus Deus patribus meis benedixit,nam ab illis ad me manauit poteſtas benedicendi iure hæreditario, donec veniat deſiderium collium æternorũ, id eſt Chriſtus patribus meis promiſſus, vt non ſolum poſteritatis tuæ incrementum ſit futurum, ſed & impleri debeat ſanctorum omnium deſiderium per illud in quo omnes gentes benedicendæ ſunt iuxta promiſſionem factam Abrahæ, quæ omnes benedictiones fiant in vertice tuo Ioſeph,qui es Nazareus inter fratres tuos, id eſt, ſeparatus à fratribus tuis,quando venditus fuiſti,vel vt Vatablus & ſeptuaginta, erunt benedictiones ſuper verticem coronati fratrum ſuorum,id eſt ſuper verticem eius, qui eſt princeps & dux inter fratres ſuos.

TERTIA etiam interpretatio addi poteſt ad duas priores,quam æquæ benè complectitur hebraica dictio נָזִיר nazir,id eſt Nazareus contingāt benedictiones iſtæ in vertice Ioſeph Nazarei, eius ſcilicet,qui ſe abſtraxit à voluptatibus & illecebris carnis, qui præſtantior fuit fratribus virtute animi, prudentia, religione,& caſtitate cæteris præluxit.

VATICINIVM VNDECIMVM DE BENIAMIN.

TEXTVS.

Beniamin Lupus rapax mane comedit prædam, & veſpere diuidit ſpolia &c.

BENIAMIN minimus filiorum Iacob. qui prius dictus eſt Benoni, & filius doloris mei Gen. 35. *Egrediente autem anima præ dolore, & imminente iam morte uocauit nomen filij ſui Benoni, id eſt filius doloris mei, pater verò appellauit eum Beniamin, id* eſt filius dexteræ filius virtutis, & fortitudinis, vt ſignificaret fortitudinem & conſtantiam qua dilectæ vxoris Rachel ferebat mortem, ac ſi diceret, habeo quo exerceam virtutem & fortitudinem meã, ait igitur Beniamin *lupus rapax* &c.

Interpretatio huius loci Beniamin D. Paulũ denotare.

QVAMVIS de D. Paulo inquit D. Hieronymus, manifeſtiſſima prophetia ſit, quod in adoleſcẽtia ſua proſequutus eccleſiã, in ſenectute prædicato Euãgelii fuerit tñ in Hebręo ſic legitur בנימין זאב יטרף בבוקר יאכל עד ולערב וחלק שלל Biniamin zeb itraph, babober iochal ad velagnereb

gnereb rehalek ſchalal *Beniamin lupus rapax,* ſiue capiens in matutino comedit prædam, & ad veſperum diuidit ſpolia.

HEBRAEI aſſerunt, altare in quo immolabā tur hoſtiæ, & victimarū in ſanguis fundebatur tribu Beniamin fuiſſe: ſignificatur ergo quod mane offerēt ſacerdotes hoſtias, & veſperè quę ſibi à populo collata ſunt diuident lege Ioſue cap. 18. Valdè iuuat hanc interpretationē Caldæus, qui ait, *in terra Beniamin habitabit templi maieſtas, & in poſſeſſione eius ædificabitur ſanctuarium, mane & veſpere offerent ſacerdotes oblationes, & in tempore veſpertino diuident reſiduum portionum ſuarum de reliquis quæ ſanctificata ſunt.*

VERVM Lyrano & Toſtato hæc interpretatio videtur ad modum extranea, in quam Toſtatus his agit rationibus, licet Hieruſalem & templum in tribu eſſent Beniamin, ſacerdotes tamen offerebant ſacrificia & diuidebant portiones, qui non erant de tribu Beniamin. Quæ autem faciebant ſacerdotes nil ſpectant ad ipſum Beniamin, & ad eius poſteritatem, deinde holocauſtorum accenſio in laudem erat & honorem Dei, non ergo verè per lupi rapacitatem & veracitatem ſignificatur, quæ in malum ſumitur. Præterea non tantum manè ſed veſperè etiam ſacrificia offerebantur, ergo non tantum erat dicendum mane commedit prædam, ſed etiam veſperè. Deni-

Reijcitur interpretatio Hæbræorum a Toſtato

que illud *Veſperè diuidit ſpolia*, cur etiam non dictum eſt, mane diuidet ſpolia: nam ſacerdotes ex ſacrificijs matutinis partes accipiebāt. Sed obſtat Chaldæi authoritas, qui difficillima loca ſcripturæ erudite exponit.

ITAQVE ad primam rationem reſpondeo nullum inconueniens, quod prophetauerit Iacob futurum templum in ſorte Beniamin: neque enim exiſtimo tantum agi de diuiſione partium ſacrificij inter ſacerdotes, ſed etiam de alijs quæ ſpectant ad tribū Beniamin vt ſtatim explicabitur. Quod ſi ſimpliciter & abſolutè loquatur Iacob de ſacerdotibus, adhuc nullum ſequitur incommodum. Probo euidentiſſimo teſtimonio Deut. 33. vbi Moyſes ad Beniamin ait, propter templum in eius ſorte, futurum *amantiſſimus Domini habitabit confidenter in eo quaſi thalamo, tota die morabitur, & inter humeros illius requieſcet*. At hoc nō cōuenit Beniaminitis, ſed Leuitis: ſpectat autem ad ſummam huius tribus prærogatiuam & eminētiam, quod in eius ſorte conſtructum fuerit templum Hieroſolymitanum.

AD ſecundū dico, per lupi rapacitatē appoſitè ſignificari holocauſtorū accēſionem immolationē ſacrificiorum, & partium inter ſacerdotes diuiſionem. Nam ſcriptura potius quod præcipuum eſt in ſacrificijs, holocauſtum reſpexit non alia ſacrificia, quod comparauit lupi rapacitati, quia totum comburebatur. Quid quod rapien-

rapiendi verbum in ſcripturis in bonam partem ſæpius transfertur ad victum hominis,quē ille ad feræ modum ſibi acquirit, & accipit ab altero etſi non rapiat. Vnde Pſalm. 110. verſ. 4. *Eſcam dedit timentibus ſe*, in hebræo eſt. טֶרֶף נָתַן לִירֵאָו tereph nathan lireau. Prædam dedit timentibus ſe. Præda autem hebraicè dicitur טֶרֶף tereph quod verbū etiam Iacob vſurpauit.

A D TERTIVM & Quartum argumētū.

RESPONDEO, nō negare Paraphraſten mane & veſperè oblata fuiſſe ſacrificia, qui dixit mane & veſperè diuident ſacerdotes oblationes; & cum obijcitur, etiam ex ſacrificijs matutinis habuiſſe partes ſacerdotes id cōcedimus. Sed *veſperi diuidunt ſpolia* interpretatur Caldæus reſiduum portionum ſuarum, licet enim portiones accepiſſent ex matutinis ſacrificijs, veſperè tamen quod reſiduum erat, diuidebant. & veſpere quiſque intelligebat quænam ex ſacrificijs totius diei portio ſibi obueniſſet, vel forte portiones in communi ſeruabantur, donec veſperi diuiſio inter ipſos ſacerdotes fieret. Sūt quoque non tantum ex latinis, ſed etiam ex Græcis qui locum retulerunt ad id quod ſcribitur Iudic. 19. de Beniaminitis qui in ciuitate Gabaha vim intulerunt vxori Leuitæ cuiuſdam illac tranſeuntis, eaque abuſi ſunt ita, vt perierit: propter quod nefarium ſcelus omnes tribus Iſrael tribui Beniamin bellum indixere, primo

& ſecundo prælio victoriam obtinuit Beniamin, tertiò verò proſtrata eſt. Senſus itaque erit, tribus Beniamin velut lupus rapax qui fame opprimitur pugnabit, & prædam magnam reportabit, & veſperè ideſt finito prælio diuidet ſpolia (vt ad duo priora, prætalia verba hæc ſint referenda) Theodoretus tamen priorem partem ad duo priora prælia; poſteriorem vero ad tertium retulit, quo Beniamitæ victi ſunt, vt ſit ſenſus, mane commedet prædam, id eſt prioribus prælijs prædam reportabit: Veſperè verò, id eſt tertio prælio ſpolium erit cæteris tribubus, ſed in Hebræo eſt וַחֵלֶּק שָׁלָל vehaleh ſchalal, id eſt, diuidet ſpolia: Diuidere autem eſt inter ſe diſtribuere. Itaque verba hæc magis videntur referri ad duo priora prælia in quibus victoriam reportarunt Beniaminitæ.

ALII non exponunt de particulari facto, ſed eo tantum referunt quod Beniamin admodum robuſta futura eſſet, vt conſtat ex capit. vigeſimo lib. Iudic. vbi teſtatur ſcriptura de ciuibus Gabaha Beniaminitis tantũ atmis voluiſſe, vt non minus ſiniſtra quam dextra præliarentur, & fundis certiſſimis ictibus etiam capillum percuterent. Ait ergo Patriarcha Iacob, ſtrenuos fore Beniaminitas, ſpolia multa ab hoſtibus reportaturos, & inter ſe diuiſuros.

CAETERVM plerique Patrum de D. Paulo

locum intelligunt, qui fuit de tribu Beniamin prius lupus rapax accepti literis ad ſynagogas contra Chriſtianos actor. 9. Poſt conuerſionem verò ſpolia ampliſſima quæ retulit ex gentibus conuerſis, diuidens in ſingulas regiones ſpolia etiam ſacrarum literarum & myſteriorũ Chriſti & Eccleſiæ è manibus Iudæorum, qui habebant ſub litera legis latentem ſpiritum eripuit, ipſa, credentibus prædicando diſtribuit: hunc mater Synagoga vocauit Benoni, id eſt filium doloris, quia illam perſequebatur, Pater verò Deus appellauit Beniamin, id filium dexteræ & virtutis ſuæ, quia ſua virtutæ & potentia, ex perſecutore acerrimo fecit Apoſtolum & Euangelij prædicatorem. Quomodo intelligatur hæc pro-

RELIQVA PARS CAPITIS.

Omnes hic in tribu Iſrael 12. *&c.*

NVMERATVR tribus Leuitica inter duodecim, alijs tamen in locis non recenſetur: quia ibi nomen tribus accommodatur iuxta diſtributionem ſortium, ita vt illa tantum dicatur tribus quæ partem & ſortem acceperit in diſtributione terræ promiſſæ. Alibi verò narratur, vt Apocalip. 7. & hic quia caput eſt familiæ, & tũc non recenſentur tribus Ephraim, & Manaſſe niſi ſub vna tribu Ioſeph ſecus verò ſi non numeretur tribus leuitica.

TEXTVS.

Hæc loquutus eſt eis Pater ſuus, benedixitque ſingulis benedictionibus proprijs.

QVOMODO ſingulis benedixerit diſputatum eſt ſatis ſuperque ſupra, in principio capitis quæſtione prima.

TEXTVS.

Sepelite me cum patribus meis in ſpelunca duplici quæ eſt in agro Ephron Hethei contra Mambre in terra Canaan, quam emit Abraham cum agro ab Ephron Hetteo in poſſeſſionem ſepulchri.

HAEC propria ſunt capitis 23. Geneſ. vbi narratur emptio ſpeluncæ, duplicis quam Abrahã ab Ephron emit in ſepulturam ſuorum.

EXPLICARI hic ſolet apparẽs quædam contradictio, quæ reperitur circa emptionem huius agri D. Stephanus enim actor

actor. 7. dicit Sepulchrum Iacob, & aliorum Patriarcharum fuiſſe emptum ab Abrahā precio argenti. At Ioſue 24. dicitur Iacob emiſſe, & Geneſ. 33. 100. agnis aut 100. nouellis ouibus.

VARIE reſpondent ſacræ ſcripturæ interpretes Canus lib. 2. de locis Theologicis cap. vltimo dicit Diuum Stephanum non fuiſſe canonicum ſcriptorem, & ideo labi potuiſſe memoria.

CONTRA dicitur ibi *plenus ſpiritu ſancto, & non potuiſſe Iudæos reſiſtere ſpiritui qui loquebatur in ipſo.*

GLOSSA ordinaria. Reſpondet Abraham emiſſe agrum vt legitur Gen. 23. & 50. ad ſepeliendum Saram.

SED neque hæc ſolutio valet D. Stephanus enim loquebatur de alia emptione, qua Abraham emit ab Ephron locum illum quadringentis ſiclis argenteis; Iacob vero à filijs Hemor patris Sichem.

RESPONDEO ergo hunc eſſe morem ſcripturæ, vt ſæpè vſurpet nomina patrum & auorum pro filijs & nepotibus, vt 3. Reg. ca. 12. Populus Iſrael ſeparat ſe à Rege Roboam, dicebatque *quæ nobis pars in Dauid*. Et Ezechielis cap. 34. & 37. ſumitur Dauid pro vno ex nepotibus ſuis, nempe pro Chriſto Domino, qui ex eo erat naſciturus *Suſcitabò paſtorem vnum ſeruum meum Dauid.* Sic D. Stephanus cum dixit, Abraham emiſſe, vnum ex filijs Abrahæ intel-

Scripturæ mos eſt vſurpare nomina patrū & auorū prò filiis & nepotib.

intelligit. Quod verò dicitur emiſſe 100. *agnis* cap. 23. Geneſ. Et *pretio argenti* Actorum 8. Eſt vel quia dictio hebraica, quæ ibi habetur קְשִׂיטָא, Beſita ſignificabat tum ouem, tum monetā cui impreſſa erat imago eius, vel quia loco pretij dedit agnos, quod æſtimabatur pretium argēti pactum, ſicut ſi rem emptam centum aureis ſoluas tritico vel agnis.

TEXTVS.

Ibi ſepelierunt eum, & Saram vxorem eius, ibi ſepultus eſt Iſaac cum Rebecca coniuge ſua, & Lya condita iacet.

RACHELIS non meminit, quia non eſt ſepulta in ſpelūca duplici ſed in via quę ducit Bethleem, vt habetur cap. 35. Geneſis.

TEXTVS.

Finitisque mandatis quibus filios inſtruebat collegit pedes ſuos ſuper lectulum, & obijt, appoſituſque eſt ad populum ſuum.

ANNOTAT hic Rabbi Iſaac ex Aben Eſdra quando filijs Futura prædixit Iacob, ſediſſe

diſſe, & pedes eius pendentes habuiſſe è lecto: finitis aũtbenedictionibus colligiſſe pedes ſuos, id eſt, retraxiſſe pedes & ſtatim mortuus eſt anno ætatis 147. *& appoſitus eſt ad populum*, id eſt dormiuit cum patribus & vltimum diẽ clauſit.

ATQVE hæc de prædictionibus & benedictionibus Parriarcharum pro tenuitate ingenij noſtri dicta ſint, quæ etiamſi diffuſiora videantur, nil tamen in his propoſitum quod nõ attingat inſtitutum & ſcopum Patriarchæ Iacob. Nam & ipſa vaticinia per ſe ſatis ſunt obſcura: & recondita, cum contineant populi hebraici euentum à morte Iacob vſque ad Chriſtum per 14 ſęcula ideſt, per annos plus 1400. theſaurum etiam myſteriorum Chriſti, & Eccleſiæ Catholicæ diſputandum etiam erat contra Iudæos quo magis firmaretur fidei orthodoxæ veritas, & ſacrorum oraculorum fides.

Quæ omnia Sacroſanctæ Rom. Eccleſiæ cenſuræ & iudicio ſubmittimus.

F I N I S.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

[illegible] by [illegible]

1— 8

Digitized by Google